471

J Chetwode 1756 1.6

J XXV Man

35262/A

N. B.

At ye time of Labour, it some-
-times happens often to a
very strong Pain shall come
on, ye Child instead of be-
-ing protruded is found
to be beat upward, — but
as soon as ye Bones of
ye Cran. begin to yield,
3/4 Mag. of the Head is
lessend & the Child perhaps
advances & is born

42735

APHORISMATA MEDICA:

Quibus tam bona quam mala Valetudo Mulierum, præcipuè Utero gerentium à Conceptu uſque ad Puerperium, depingitur. Et ad levandos earum Morbos, quid ſit faciendum quid fugiendum præſcribitur.

ACCESSERUNT

Morbos dignoſcendi Methodus certiſſima unde Curationes efficaciſſimæ colliguntur.

ET

Conſilium apprimè neceſſarium in dubiâ præſertim Re, quo tutò ſemper *Sanguis Mittatur.*

Auctore RICHARDO MANNINGHAM, Equite, M. D. R. S. S. et Col. Reg. Med. Lond.

Medicina Artium reverà Omnium præſtantiſſima; Inſcitiâ tamen Factitantium, judicantium Temeritate, et amiſsâ *ferè Medicinæ* Diſciplinâ, *ad Ludibrium recidit.*

Medici quidem Nomine multi, Reipsâ pauci.

LONDINI:

Apud J. ROBINSON, ad Inſigne *Leonis deaurati* in Vico vocato *Ludgate-Street.*

MDCCLVI.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRÆFATIO.

QUUM nequè unquàm aliàs, nequè uſquam gentium aut plures, aut peritiores extiterint Medici; quam hodie in hac noſtra urbe. Undè etiamnùm vetus illa et vulgaris querela, nempè, *Medicinam pene plus quam Morbos nocere?* Pudet ſanè fateri, confitendum eſt tamen, quam vera prope queruntur mortales, diùque ſunt queſti, imò in perpetuum queſturi ſunt, niſi viſum fuerit tandem aliquando *Legiſlatoribus* noſtris *amiſſam* revocare *Diſciplinam*; ut non ſolum prodeſſe poſſint periti, ſed imperitos quoque perhibere, quo minùs obſint.

Olìm nemo niſi qui ritè didicerat, niſi teſtimonio comprobatus idoneo, vel *Abrotonum ægro* dare auſus eſt. Hodie pro ſuo quiſque arbitrio agit Medicum, et nullius judicio commendatus, nullâ ferè artis prudentiâ inſtructus, rem graviſſimam ſimul et imprimis arduam fidentèr ſuſcipit. Hinc certè natum eſt opprobrium, nec deerit opprobrii materies, donec præclara hæc provincia patebit omnibus, quos lucri ſpes pellexerit, aut vana de ſe ſua opinio excitaverit.

Leve equidem et ferendum eſſet opprobrium, ſi hoc ſolum mali indè naſceretur, ſi Medici modò malè audirent, nec peſſimo quoque publico hæc fierent. Quod ſi magna ſit ubique medicaſtrorum multitudo, aut quibus Lucella ſua cariora, quam Civium Vitæ, aut quos ſua adeò fallit imperitia, ut videantur ſibi quiſque peritiſſimi ; et credulum adeò plerùmque vulgus, ut

ar-

arrogantiſſimo cuique facillimè credat; magna inde clades oriatur neceſſe eſt, lacerentur quotidie *Reipublicæ* viſcera, fortunis Cives vitiſque mulctantur, et ſæpenumerò non tantùm pereant, ſed, quod miſerrimum, trucidati pereant; aut mancâ ſaltèm et malè ſartâ valetudine laborantes, ægra trahant membra, vitamque non vitalem degant.

Obteſtamur igitùr omnibuſque imploramus precibus eorum fidem, qui ſummæ rerum præſunt, et quibus curæ eſt *Salus publica*, nè fœda hæc et immania ultrà patiantur. Non, ut opinor, iniqua petimus aut indigna ſummo *Reipublicæ* concilio; nec, uti ſpero, id auxilii, ſine quo graſſabitur uſque impunè illa imperitorum cohors, diù deſiderabimus.

Quid enim Patrum curâ dignius, quam ut plebi conſulatur? Quid magis omnium refert, quam ut rectè tueatur bona valetudo, ſcitè reſarciatur

mala? Quid æquiùs denique, quam ut peritis id juris concedatur, ut imperitas manus coerceant, nè noceatur?

Ea eſt autem bonæ valetudinis vis, ut ubi adſit, multa vitæ incommoda facilè perferamus, ubi abſit, nulla voluptas ſincera eſſe poſſit: ut eam tanquàm fundamento cætera nitantur gaudia, quo ſubducto corruit ſimùl omnis felicitas: Non erit ergò levis apud *bonos* & *ſapientes* viros momenti, nequè parvi æſtimabunt eas rationes ex quibus maximè pendet.

Jam verò præcipuùm eſt in hac Arte, ut Medicus, is certe qui ſpem non vanam fovet, penitùs dignoſcat qualis ſit morbus cui ſe opponit, quænam ſint vires medicamentorum, quæ adhibiturus eſt, et quid quæque officiant, deindè ut compertum habeat quibus potiſſimùm modis ſingula ſuas ſint vires ſi profuerint, exhibitura; ut indè probe intelligat quibus ſit uſque perſiſtendum,

quæ

quæ ſtatim relinquenda. Atque hæc quidem *totius artis ſumma.* Sed ut hoc quis aſſiquatur, multa priùs ſunt diſcenda, multa diligentèr perſcrutanda; adhibenda eſt ſumma et aſſidua cura; acri opus eſt et perſpicaci judicio: non ènim temerè quivis ſcientiam adeò reconditam adipiſcitur, nec levi ſaltu per ardua ferimur et impedita loca: explorato opus eſt, cauto preſſoque graſſu incedendum, ut ad ſummum tutò perveniri poſſit. Atque is demùm dignus erit cui tanta mandetur provincia, qui ab *ineunte ætate* eæ ſe tradiderit *diſciplinæ*, undè optima artis præcepta hauriri poſſunt; et in iis ſtudiis elaboraverit, quibus naturæ arcana reteguntur; qui felici ingenio diuturnam experientiam adjunxerit; et indolem animi ſagacem indefeſſo labore excoluerit.

Non eſt profectò *incerta* adeò et *fortuita res* Medicina, ut imperitum vulgus

gus temerè opinatur, modo *doctis* administretur manibus, et *ſubacto judicio* dirigatur: contrà autem temerarius ſine ullo diſcrimine Pharmacorum uſus, quod quiſque ſtatim confitebitur, peſtis eſt certiſſima, nequè in gravioribus morbis, niſi perrarò, et fortè fortuna poterit prodeſſe: imò detur ſanè *Panacea*, opus erit tamen *eodem judicio*, ut rectè *dignoſcatur quomodo* et *quando* potiſſimùm ſit adhibenda. Hinc patet quam pernicioſa fiunt vel *optima remedia* audacis *medicaſtri* manibus conjecta.

Illud vero certo certius, nullam niſi fortuitam indè utilitatem provenire poſſe, abſque *Temporum* et *Quantitatum* quibus quæque debent adminiſtrari pharmaca, ſcientiâ conſummatâ; et, quo ſunt *efficaciora*, eò periculoſiùs temerè adhiberi: quod quidem ut ritè et tutò poſſit fieri, et ad lenimen morbi, ſolum præſtat Medici *judicium*. Atque

que in hac re ſanè nemo quiſquam, niſi lævæ prorſùs aut iniquæ mentis, inficias ibit.

Niſi dignatus fuerit *Senatus* tandèm rei medicæ ſtatum miſerandum reſpicere, et ſalubri aliquâ lege *Medicinæ ipſi ægrotanti* conſulere, vigebit uſque, cum magno valetudinis diſpendio, *indocta Temeritas*. Prudens interìm et verè doctus *Medicus* hoc ſolo conſilio poterit occurrere gliſcenti et exitioſo malo; cum iis nempè, qui et poſſunt et volunt rectè monitis uti, ſuas obſervationes communicare, et de ſuâ ſcientiâ ſtudioſis benignè impertiri. Vereor tamèn ut huìc tantæ peſti ſatis ſit indè remedii, quum iſti plerùmque *ſcioli*, uno et altero *arcano ſuo* freti favente ſimùl pravâ temporum ſtultitiâ, *per ſaltum* malunt *Doctores* fieri; tædet enim hujuſmodi *ſagaces* ſtudiorum, *ſapientiſſimos* homines pudet diſcere. Hos

autem

autem nullâ humanitatis lege violatâ dixerim medicaſtros nequàm;

Non enim ſunt ii aut ſcientiâ aut arte *Medici*

Sed inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat;

Qui ſui quæſtûs cauſâ fictas ſuſcitant ſententias

Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

At ſunt quidèm, et ſemper erunt, utì ſpero, qui fidis et ingenuis animis Medicinæ dant operam, nèque id laboris et ſtudii recuſant, ſine quo ad artem hanc præſtantiſſimam nullus datur aditus: His ſaltèm proderunt, quæ doctiorum experientia protulerit, et per hos aliquatenùs *Reipublicæ* ſunt profutura.

Quod

Quod ad eam Artem attinet quæ in *Puerperiis* verſatur, nulla unquam ætas credo, tot improbos *Lucinæ* Antiſtites, quot noſtra vidit, hodiè enim quiſque pro ſuâ audaciâ nullis peritiæ idoneis teſtibus, *parturientibus* operam pollicetur, atque etiam *Medici Provinciam* ſæpè aggreditur, nè quidèm obſtetricis partes ut ſuſtineat ſatis inſtructus. Quod ſi quibus ſumma ſit ipſius operi ſolertia, non erit iiſdem continuò artis medicæ ſcientia: Tonſores nôrunt venam ritè incidere, non tamèn *quo tempore*, nec *quantum* ſanguinis ſit detrahendum ideò nôrunt: hâc igitùr in re Cenſore opus eſt.

Nullius eſt niſi prudentis Medici variis et periculoſis morbis, quibus inter *Conceptum* et *Puerperium* ſæpè laborant Mulieres, ſe opponere: nèc in ullo ſanè ſeculo defuere *Medici* peritiſſimi, qui *Obſtetricii* tam Theoriæ quam Praxi operam navarent, non ſine magno ge-

neris humani commodo: Hi medicâ, et anatomicâ ſcientiâ artis, hujus utilitatem multùm promoverunt; et profectò ut *opus ipſum* felicitèr conficiatur, ſæpe *peritia medicinæ non mediocris* poſtulatur: Quod ſi quibus utero gravibus, parturientibus, vel à Puerperio ægris, Febris, Febricula, Febris Miliaris, Variolæ, Morbilli, Convulſiones, Dolores Colici, profluvia, inciderint, nec adfuerit quiſquam niſi qui opus ſolum operari novit; quantùm indè periculum imminebit et utero gerenti, et puerperæ, necnon infanti!

Rarus erit fortaſſè Medicus, qui id oneris et laboris, quod ipſum *manuale obſtetricium*, ut ita dicam, ſemper habet, lubens in ſe recipiat; nullus tamen artis *Theoriam ſaltèm* ignorare debet; nè, ſiquandò fortè accerſitus *puerperio* interſit, fraudi ſit obſtetricaſtri ſeù temeritas ſeu inſcitia; quin ipſius operis eam prudentiam ſibi ſapiens quiſque

com-

comparabit, quam fidam tanquam ducem ſequatur, in iis morbis curandis qui partui ſæpiſſimè ſuperveniunt, nec erroribus inſcientis cujuſvis operam locantis in hac re, ſummo cum ægrotantis periculo, ſerviat: niſi medicus enim ſuo nitatur judicio, adeò ut *veros* & *falſos* dolores, *rectum pravumque* ſitum, tam uteri quam fœtûs, dignoſcat; et quæ ſit naturæ ritu vera et legitima *pelvis forma*, atque hujuſmodi alia per ſe calleat; non poteſt fieri quin fœdos ſæpè errores erret, deceptus eorum Temeritate, qui ſe quotidiè his rebus immiſcent, nullo idoneo Teſtimonio comprobati, et dùm pollicentur opem perniciem afferunt: iſtiuſmodi enim patitur *neglecta diſciplina*, atque ex hâc unâ re infinita propè ubique oritur *Calamitas*.

Quoniàm verò ita vitæ meæ rationem inſtituerim, ut medicinæ obſtetricium ſempèr adjunxerim, eo concilio

libellum hunc concinnavi ut utriuſque artis elementa quædam *Medicis junioribus* tradendo, caveatur ab imperitorum fraudibus et ſtrophis, qui provinciæ huic noſtræ imminent et inſidiantur. *Regulas* autem *præmonitiones*, et *concilia* quæ tradimus, optimorum, undè pleraque ſunt deſumpta, ſcriptorum commendat Auctoritas, et noſtra ſimùl experientia, ex annorum pluſquàm triginta uſu, quibus huic arti in hâc urbe celeberrimâ diligentèr nec infelicitèr operam dedimus, non ſolum confirmavit, verum etiam, abſit verbo invidia, aliqua ex parte ditavit. Nullus igitùr dubito, quin is, ſeu Medicus, ſeu qui operam modo ritè præſtare novit, qui has Regulas, Præmonitiones et Præcepta ita didicerit, ut ſempèr in promptu habeat, meritò ſibi felicem exitum ſuſcepti operis polliceatur et præſtet, non ſine magnâ utilitate publicâ, gratoque ſui animi teſtimonio. Ut tamen quam

la-

latiſſimè pateat vis illa medicinæ, quæ valetudinem rectam tuetur, labantem reficit, et amiſſam revocat, nihil præter *ſummum reipublicæ conſilium* præſtare poterit: Et ſi viſum fuerit iis, qui ſoli poſſunt, cavere ne quis, niſi datis ſolertiæ idoneis teſtibus, *quodvis* medicinæ *munus* factitare audeat, quanto *reipublicæ* commodo id fecerint ſtatìm apparebit. Hujuſmodi autem præſcriptum, nec iniquum et neceſſarium, requiſitum diù et *efflagitatum*, nemini unquam paulo humaniori et benevolo, non erit optatum, cui ſemel innotuerit quantum mali *ex omiſſâ rei medicæ diſciplinâ proveniat*: quod quidem ut innoteſcat ſatis, non tam opus erit ut acritèr quis intendat animum, quam ut acritèr et citò his malis, quæ querimur, nec ſine *publico concilio* ſanando ſumus, occurratur.

APHO-

APHORISMATA

MEDICA.

UT Medicinæ ſtudioſo *Theoria* ſaltèm Obſtetricii ſatis pateat, imprimis erit neceſſarium ut partes illæ circa quas ars iſta maximè verſatur, et earundem ſitus, ritè deſcribantur: Hoc igitùr, eâ quâ fieri poteſt perſpicuitate et brevitate, pro inſtituti noſtri ratione, conabimur præſtare.

Eſt autèm ipſius uteri in virginibus *ſubſtantia* denſa et ſolida, innumeris vaſcu-

vaſculorum fibroſorum numero compacta, venarum ſcilicèt Arteriarum, Nervorum et Lymphaticorum, interpoſitis aptè muſculoſis particulis, quaſi coagmentata : *Forma* in mulieribus non gravidis, haud abſimilis pyrorum quorundam, cùm vero infrà veſicam et ſuprà inteſtinum rectum *ſitum* habeat paulò compreſſior, ipſo ſitu coarctata. Corpus uteri ſupernè veſicæ adhæret, infrà *recto* inteſtino, et ab utroque latere membranis et ligamentis, nòn quidèm fundo, ſed ori propiùs admotis, vincitur : Os denique uteri undiquè cum vagina connectitur, quæ quidem vagina ſubſtantiâ eſt facilè dilatibili et in latitudinem et longitudinem, undique multiplici plicarum ſinu circumdata, molli lubricâque, plerumquè muco, quo faciliùs extendi poſſit, oblita.

Uterus ſimùl et vagina inteſtino recto infrà, ſuprà veſicæ, vel veſicæ collo adhereſcunt ; vagina autem ab ipſo ſtatim

aditu

aditu utero tenùs per totam longitudinem et ab omni inferiori parte inteſtino recto, at ſupra, veſicæ tantùm collo adjungitur: cum tamen ipſe uterus non niſi ex anteriori parte, nempè juxta os ejus ſive aditum recto et veſicæ agglutinetur, atque ita quidem ut indè ſine vi divelli nequaquàm poſſit. Et quoniàm ab extrema ſolum parte uterus, hinc inteſtino recto, indè veſicæ collo, alligatur, nihil eſt quod impediat, quo minus gradatìm et facilè dilatetur et extendatur, aſcendat et deſcendat pro re natâ; et cùm fundus uteri ſitus ſit in ſumma pelvis cavitate, hìnc quoque liberiùs extenditur.

Extenditur autèm et dilatatur uterus *inter gerendum* magnoperè, ſalvâ tamen naturali craſſitie, denſitate ſive ſoliditate non itèm; idquè nunquàm non ſit, niſi in mulieribus *phthiſi* laborantibus et macie confectis; in omnibus verò utero

gerentibus *fundi* maxima ſimul craſſities et ibidem dilatatio.

Subſtantiam utero largita eſt natura membraneam; in prægnantibus dilatata, ut ſolent res aliæ, non extenuatur; ſed quantò magis diſtenditur, tantò magis craſſeſſit: ità ut *poſterioribus* menſibus *duorum* ferè *digitorum* craſſitiem æquet. Hoc pro miraculo ſemper habitum, cujus tamen cauſam afferre non videtur difficile. Naturam ſcilicet toto graviditatis tempore multam ſanguinem fœtûs nutriendi cauſa ad uterum continuò mittere, qui cùm nòn conſumatur univerſus à fœtu, partem ſempèr aliquam utero apponi, et indè uſque ad partum augeri perpetuo cum fœtu atque craſſeſcere. *Ubi enim mulier uterum gerit, ſenſim à toto corpore ſanguis in uteros defertur, et velut in orbem id, quod in uteris eſt, circumſiſtens, ipſum auget.* HIP. L. I. *Morb. Mulierum.*

Quæ

Quæ Secundinæ appellantur, ſunt Placenta uterina, arteriis veniſque compoſita, craſſa ferè ad duos latos digitos, ſex vel ſeptem lata, quæ fundo ipſo uteri plerùmque agglutinatur, et membranæ *tres* Placentæ cohærentes, nempè *Chorion*, *Amnios*, et *Allantois*; membrana quæ Chorion vocatur, utero eſt et *duplicaturæ* et firmamento, vaſculis plurimis repleta, atque hæc quidem Placentæ adhereſcit: Quæ Amnios vocatur paucioribus quam Chorion vaſculis ornatur, ſecernit aquas continetque, Chorion ſimùl obfirmat: Tertia quæ vocatur Allantois texturâ eſt ſubtiliſſimâ, fœtûs urinam accipit per ductum, quem *Urachum* vocant, imâ infantis veſicâ ortum, Umbilico emiſſum, ad quem uſque locum facilimè deprehenditur meatus, et cum funi umbilicali Allantoidi comiſſam imam juxta Placentam; diſrupta hæc nonnunquam membrana, ſenſìm quotidiè demittit aquam ali-

quamdiù, nec tamen partum accelerat: *limpida* hæc fermè aqua et parùm mucoſa. Interdùm ubì occipiunt primulùm dolores, hæc membrana priùs rupta emittit, quas *Obſtetrices* vocant, *primas* aquas; deindè paulo poſt ingerunt ſe *veræ aquæ*, et *alternantibus* interìm doloribus, certiſſimum inſtantis partûs indicium, protruduntur.

Ridleius, accuratus Anatomicus, et Doctor Medicinæ, poſtquam *Urachi* fœtûs, ex veſicâ exitum per ſtylum et flatum, omni operâ adhibitâ, incaſsùm tentaverat, veſicam illam, aquâ fontanâ, cujus *tria* cochlearia integra capiebat, repletam, fundo deorsùm poſito, filo ſuſpendit, quam totam ſpatio tridui, per Urachum in vas ſuppoſitum, lentè, et guttatìm tranſiiſſe obſervavit. Demùm *inversâ prius veſicâ*, et intruſo prudentèr ſubtùs digito, in rugoſam ejus tunicam versùs fundum, eo loco ubi de eâ procedit *Urachus*, *papillam* quandam

quandam oculis detexit, cujus àpice forficibus abſciſsâ, ſtatìm viſui incurrit perforatio. Hìnc intruſum ſpecillum, *expeditè in Urachum* pervenit. Poſteà adaptato tubulo, eum cavitate *pennæ anſerinæ* fermè donatum deprehendit. *Obſ. Med. Pract.* et *Phyſiol.* RIDLEIO Auth. *Lond.* 1703, 8vo.

Funis Umbilicalis tribus conſtat vaſculis, unâ ſcilicet venâ, arteriis duabus; atque his quibus omnibus ab Umbilico uſque ad Placentam, membranæ *Chorion* et *Amnios* productæ involucro ſunt: Eſt autem funis plerumque ſeſquipedalis; nè fortè fœtus agitatus Placentam à fundo avellat: vaſorum id officii, ut vena ſanguinem infanti, quo nutriatur tranſmittat, et quod indè effætum fuerit et parùm nutritium per arterias ad Placentam redeat, et *chylo* quem Placentæ radices ex materno ſanguine eliciunt, renovetur, dùm interìm ſanguinem vena fœtui ſubminiſtrat; adeò ut perpetua ſit

ſit ſanguinis, ità materno chylo renovati, circulatio inter *Placentam et fœtum*. Arteriæ funis umbilicals oriuntur ab interno Iliaco, vel extremâ fœtus Aortâ, veſicæque latera perſtringentes ad umbilicum pertinent, unde emiſſæ, Amnio et Chorio ramos quoſdam diffundunt, et deincèps in ipsâ Placentâ in multitudinem ramorum innumeram diſpertiuntur: Vena multiplici radice, totique Placentæ uterinæ ſubſtantiæ intertexta exoritur, et Amnio Chorioque compluribus impertitis ramis, per umbilicum ingreſſa una cum venâ portæ ipſi fœtûs jecinori committitur.

De

De Secundinis.

APHORISMI.

PLacenta uterina fundo uteri plerumquè adhærit.

Membrana eſt duplex Chorion et Amnion quæ ſimùl conjunctæ unum involucrum faciunt, in *quo et fœtus et humores ſimùl continentur.*

Gemellis ſingulis ſuæ ſunt membranæ neque unquàm uterque idem operimentum ſortiuntur, niſi adunatis corporibus, quod rariſſimè evenit, Monſtrum fiant.

Membranæ æquò craſſiores vel tenuiores partum moleſtiorem reddunt, craſſiores nempè infantem in exitu remorantur, tenuiores priùs ruptæ quam os uteri ſatis dilatetur, humorum inopem derelinquunt.

Funis umbilicalis fœtûs humani tribus tantum conſtat vaſculis, unicâ ſcilicet vènâ, arteriis duabus, quæ omnes unâ eâdemque membranâ, ſive involucro colligantur.

Vena umbilicalis ſensûs eſt omninò expers, quippè quæ nullum habeat nervum.

Venæ umbilicales duriores et rigidiores, licèt craſſiſſimæ ſint, in educendis Placentis citiùs quam molliores rumpuntur.

Infantibus nonnullis funis adeò diſtentus eſt, ut licèt arcta fiat ligatura, poſteà contractione factâ, ſanguis niſi ſummâ adhibeatur curâ, effluxurus ſit.

Funem in nodo implicatum ex nimia longitudine, et motu infantis circulari in utero nonnunquàm invenimus.

Pelvis oſſibus inſtruitus variis idoneam dat cavitatem, quæ ſempèr in mu-

lieribus non gravidis uterum, veſicam, et rectum; in gravidis, fœtum quoque et ſecundinas, una cum humoribus, quibus tutior ab injuriis fit uterus, complectitur. Alia eſt aliis cavitatis hujus et *magnitudo* et *figura*; his enim ampliſſima, illis anguſta; aliis forma *compreſſa*, aliis *rotundior*. Parturientibus maximè patet juxta *recti exitum*, recedente ſcilicèt vel penitùs vel aliquâ ſaltèm ex parte oſſe ſacro. *Cavitas* autem pelvis, quod diligentèr ſempèr animadvertendum, non ſecùs dorſi ſpinam, ex parellelo in longitudinem porrigitur, ſed ab imo juxta *rectum* ſurgit in obliquum et in anteriorem partem vergit. Ut igitùr ritè adhibeatur *tactus* vel gravidarum vel parturientium, i. e. ut ad os uteri digito commodè poſſit adiri, ut indè ſitus, et quæcunque ſcitu opus eſt, dignoſcantur, priores duo digiti manûs alterutrius in vaginam ſunt inſinuandi, ità ut primò deorsùm et *rectum*

verſùs tendant, mox ſensìm attollantur et inflectantur ſursùm, tanquam hoc aditu *umbilicum* petituri : hoc pacto demùm facilè obvium habebis os uteri. Atque hoc porro conſilium in tractandis mulieribus ſummâ ſemper diligentiâ ſequendum, ſimul nè cui noceatur, et ut ad os uteri ſine morâ perveniatur, undè nùm conceperit mulier, nùm parturiat, &c. judicari poſſit : nèque enim in *obſtetricio* ferè quicquàm magis refert.

Jàm verò ſi conceperit fœmina, poſt aliquot menſes *tactu* deprehenditur ; tum enim os uteri molle, leve, teniuſque eſt, et ſæpè ſexto ſeptimovè geſtandi menſe paululùm ſeſe aperit, quod ubi fit, infantis quoque motus, quo nihil certiùs mulierem concepiſſe indicat, ſentiri poteſt.

Ut judicetur de ſitu uteri parturientis ex *tactu*, intromittendi ſunt duo *priores digiti*, eo quo præcepimus modo ; et rectè locati uteri os ità in inferiora pel-

vis demiſſum ut facilimè poſſit undique pertentari invenietur; contrà verò, malè locati os altius ſuſpenſum, adeò ut vix et ne vix quidem poſſit contingi, ex *obliquo* enim ſitu altè adeò ſuſtineri poteſt, ut ad ipſum pelvis marginem os admoveatur, quod ſi fiat, oram ſolùm inferiorem dabitur attingere, nequaquàm vero totum oris ambitum: Et, cum in hoc rerum ſtatu nullum detur certum judicium ferre de *Qualitatibus* uteri, maxima debetur iſtiuſmodi puerperæ quies; neutiquàm ciendi partûs dolores; ſummâ autem opus erit ſolertiâ ut parturienti ſubveniatur.

In uteri recto ſitu ex *tactu*, mulier parturiat necnè, et *veros* inter *falſoſque* dolores, dignoſcere, res eſt maximi momenti: Non erit igitur cenſendum veris puerperii doloribus quamlibet mulierem corripi ante menſem à conceptu *ſeptimum*, nec ante *nonum* ciendi dolores, nè matris vel infantis vita periclitetur;

 riclitetur;

riclitetur; niſi caſu quodam, et ubi quid graviùs acciderit, ſub menſem *ſeptimum* dolores *veri* fortè ſupervenerint; iſtìc quidem naturæ conatibus non erit adverſandum, cautè tamen et ſolertèr ſuccurendum.

Ubi omnia fiunt ex naturâ, et juſto tempore, prægnantis plerùmque venter, ante paucos dies quàm partûs inſtantis dolores accedant, deprimitur; quia fœtus ritè locatus, ubi et rectus uteri ſitus et forma pelvis commoda, demiſſus cum ipſo utero in cavitatem pelvis, vacua relinquit ſuperiora ventris et collapſa: atque hoc quidèm non ſolum partum appetere, ſed felicem quoque fore portendit, nàm vel fœtu vel utero perperàm poſito nullus datur in cavitatem deſcenſus, neque ſi *pelvis* arcta ſit et anguſta. Deſcenſus autem ipſe, ubi amplior pelvis, incedenti nonnunquàm, et alvum exoneranti incommodus, urgente ſcilicèt inferiora prono infantis capite;

capite; quod ſi grandius ſit, fieri poteſt ut indè pudendi labia intumeſcant, nec niſi poſt exactum *puerperium* facile ſubſidant. Quin etiàm, appropinquante puerperio Lumborum dolores quotidiè auctos experitur aliquandò gravida, vergente interim deorsùm impetu quodam, donèc emittatur tandèm viſcoſus humor; jamque ingruente partu renes, lumbi, inguina, umbilicum, gravioribus tentantur doloribus; urgentur os uteri et pudenda majori impetu, et niſu deprimuntur, non quidèm continuò, ſed per *intercapedines remiſſo:* Et urgentibus doloribus copioſiùs effluit *viſcoſus* humor, ſensìm dilatatur os uteri, et membranæ, quæ aquas continent, ſe promovent et deorsùm impelluntur: *intermiſſis* autem *doloribus*, molle erit, nihilominùs dilatatum, laxum, multoque tenuius ſolito os uteri; mòx verò ingraveſcentibus doloribus latius

latius adhùc patebit uterus, et ritè tandèm promovebitur partus.

Inter vehementiores *veri partûs dolores* æſtuat ferè puerpera, crebriorem *ſanguinis* pulſationem patitur, ruboremque vultus; toto contremiſcit corpore, artubus præcipuè inferioribus: ſunt quibus *nauſea* quoque movetur, intereà lentus et *viſcoſus* humor copioſior; mox *tinctus ſanguine* partum haùd procùl abeſſe indicat.

Sunt quæ *mixtis*, veris falſiſque doloribus parturiunt, qui quùm deorsùm urgere fœtum videantur *connitente* paritèr *puerpera*, degenerant illicò dolores iſti, et in *Spaſmata* abeant adeò ut nulla detur prorsùs excluſio fœtûs: Hi autem dolores *mixti* et adulterini *tactu* facilè dignoſcuntur; nàm licet os uteri aliquantùm pateat jam indè ab initio, et ſupervenientibus hiſce doloribus magis ſe aperiat, cum tamen *exacerbati*, citò in *contractivos* et convulſivos ſive *ſpaſmaticos*

mu-

mutentur, niſi his, lenibus priùs *anodynis* et pro re natâ repetitis, ſedatis, fruſtrà ſperabitur fauſtum puerperium; His autèm fugatis, manentibus intereà *veris* doloribus, tùm demùm facilem licebit partum expectare: At in *falſis* ſedandis nulla admittatur mora, nè parturientem ſuprà modum debilitent; *hi* enim dolores *mixti* multò ſunt acriores et moleſtiores, quàm qui ſunt inter veros et genuinos acutiſſimi, et in longum ſæpè laborem trahunt.

Summæ eſt ſolertiæ et acris judicii, ubi ciendi ſint dolores et promovendus partus, et quo pacto tutò poſſit fieri; probè intelligere, atque, etiam *peritiſſimis*, maximo erit cauto opus: temerè enim acceleratum partum periculoſa ferè ſequuntur incommoda. Nèc qui operam parturienti daturus eſt nimiùs ſit in *officio* præſtando, nèc importunus tangat tentatque puerperam, nàm cùm ſimùl *tactu* exploraverit, quod

ſtatìm et ſine morâ ſempèr faciendum, nùm omnia rectè ſe habeant, atque indè compertum habeat tùm uterum tùm fœtum ritè locari, cæteraque legitimè fieri, opus reliquum erit *naturæ ſoli* permittendum; et nihil fermè reſtat quicquàm obſtetrici præſtandum niſi ut infantem excipiat naſcentem, et ſecundinas. Quod ſi altiùs ſolito poſitus fuerit uterus, ſi os uteri durius ſit aut craſſius, aut ſi minus pateat, patientèr omninò eſt expectandum et quieſcendum: ſi caput infantis ſit prælargum et pelvis anguſta, nequaquàm ciendus eſt *Labor*, dandum autem ſpatium, dum caput infantis ſe anguſtiis pelvis paulatìm accommodat; quod niſi ſit, urgentibus nimiùm et impellentibus doloribus ità poteſt comprimi, præſertìm capitis *verticem* in planum, ut negato exitu pereat infans.

Vel utero, vel infante vel utroque ſimùl perperàm locato nullum naturæ auxilium

auxilium fas eſt expectare, neceſſe eſt autem ut is, qui huic rei operam locat, ſummam adhibeat ſolertiam; hæc verò ſolo *Tactu* deprehenduntur: Hìnc liquet quantum interſit rei obſtetricariæ ut *earum partium*, quibus verſatur, accurata notitia, *Tactuque* ritè explorandi qualis ſit ſtatus et ſitus et uteri et infantis modus tradatur: Hæc ut ſine periculo puerperæ et infantis præſtari poſſit, diligentèr eſt erudiendus hanc artem profeſſurus, cum ex *ſolo Tactu* in rebus *difficilioribus* quando et quo modo opera ſit præſtanda; et quando manus ſint abſtinendæ dignoſcatur. Huccùſque apprimè neceſſarium eſt ut obſtetricii *Theoriam* calleat *Medicus* quiſque ut in promptu ſempèr habeat quo ſe tueatur adverſus *inſcitiam fraudeſque* obſtetricum, et obſtetricaſtorum, et quò feliciùs gravidarum morbis et parturientium incommodis ſubvenire poſſit.

De Menſibus et Conceptione.

Adultis mulieribus, quæ bonâ valetudine utuntur, copioſior fit ſanguis quam ut venæ totum poſſint capere ; atque huic cum lentor acceſſerit, quod ſuperfluum arteriæ uterinæ *ſecernunt* ; et quum hæ *ſecretiones* fiant, modo per valetudinem liceat, menſtrualibus ſempèr intervallis *Menſes* vocantur : fiunt autèm per uterina potiſſimùm vaſcula, non, quod opinati ſunt nonnulli, propter *perpendicularem* eorum ſitum, ſed *propriam* quandam *texturam*, undè lenteſcit ibi ſanguis, viſciduſque factus nòn tàm facile tranſmittitur ; hìnc congeritur ibidem, auctâ ſcilicèt ſanguinis quantitate ex lentore, et cum continuo affluxu augeantur uſque et lentor et quantitas, poſt certos tandem

Cir-

Circulationis Orbes, tantus erit ſanguinis lentor, cumuluſque in arteriis *lymphaticis*, ut eâdem propellente vi quæ ante, auctoque ſimul cum viſciditate et quantitate ſanguinis momento, quo *Lymphaticarum* arteriarum latera et extremitates urgentur, vaſculorum firmitas impetu ſuperetur, et admodum diſtentis, et quaſi ruptis, eorum *integumentis*, exeat ſanguis ; neque refert quidem utrum eruptione laterali, an capitalis capillaribus effluat.

Poſt Conceptum menſtruales plerùmque evacuationes non fiunt, ſuperfluus autèm ſanguis et utero et infanti per totum geſtationis tempus ſubſidio eſt.

Quod ad rationes attinet, et conſilia, quæ in generandis animalibus natura init, *occultiora* ſunt, et magis inquiſitiones hominum eludunt quam cætera ejus opera : vario quidem multiplicique ingenio ſuper hac re commenti ſunt

Secretione

 multi

multi multa, nihil certi fortaſsè firmique unquàm aſſecuturi.

Illud verò mirandûm ſanè, omnia omnium Animantium, eorum ſaltèm quibus ſanguis ineſt, primordia, *Galbam* et figurâ et materiâ referre: nec dubitari quidem poteſt quin origo illa genitalis et ante extiterit, et aliundè affluxerit; quæ mox accedente vitâ augetur, aliturque vi ſuâ nativâ et initio inſitâ, quâ ſe jam quaſi emancipat et in libertatem vindicat, quamvis enìm à matre alimentum accipiat, non tamen aliâ ratione quam plantæ è terrâ et ovorum fœtus ex albumine et vitello; quippè *animam* jam nactus ſuis legibus, nec *maternis obnoxia*, vivit: tùm quaſi *divinitùs* immiſſo ſpiritu propriam induit naturam, nec opinioſis cogitationibus, *ſola immaginatione matris*, quicquàm movetur.

Cicatricula in ovo gallinaceo pars eſt illa præcipua cujus gratià cætéræ omnes

partes

partes formantur; et ex hâc originem habet pullus. *Quarto* incubationis die in ovo mutatio magna deprehenditur, per totam illam diem in horas maniſeſtior; quo tempore plantarum vita in ovo tranſit ad animantium vitam, *rubrumque* illud *punctum ſaliens*, jam dignoſci poteſt, ita ut verè dici poſſit, animantium naturam jàm induiſſe, tranſitione quasì factâ ex plantarum numero in animantium gregem, et opinari licet ingreſſam eſſe pulli *animam* eumque jam formare, quem poſteà informat. Nec alitèr crediderim in *humanâ* ſpecie, ſivè *principium* illud *rationale* ſive *animam ſenſitivam* ſpectes, cum primùm ſe oſtendit *punctum ſaliens*, totum animal eſſe formatum tenue quamvis et anguſtum, et deincèps ſensìm ſe expandere ſolùm et incrementum capere.

Sanguis eſt animæ immediatum inſtrumentum. Sanguis, κατ' ἐξοχὴν *ſpiritus* nomen meretur—ſanguis ipſemet,

ſine

ſine ſpiritu aut calore, non ſanguis, ſed *cruor* appellandus eſt. Sanguis opifici inſtrumentum eſt—habet profectò in ſe *animam* primò et principalitèr, non vegetativam modo, ſed ſenſitivam etiàm et motivam: permeat quoquoversùm, et ubiquè præſens eſt; eodemque ablato, *anima* quoque ipſa ſtatim tollitur.

Una eademque via ſanguiſque animuſque ſequuntur. VIRG. Æneid. 10.

Inter coeundum Tubi Fallopiani, cum effluxerint ſanguis et ſpiritus ſtimulante coitu, eriguuntur quodammodò proprioque motu, cum orificia habeant libera et fimbriata, ſeſe applicata ovariis, ſeminiſque partem *fœcundam* et vegetiorem ovo infundunt; cumque aliquandiù ovariis adhæſerint, modo nihil obſtiterit, ovum fœcundo perfuſum ſemine, per eundem meatum in uterum devolvitur. Eſt autem conceptio *uterina*, vel

vel ubi ad ovaria *ſemen* tranſmittitur, vel ubi *ovum* ad uterum defertur : atque id caloris et motûs, quod ſentit interea pelvis, voluptatem *ſecundariam* vocant, quam Tubi Fallopiani cient, dum ovum jam fœtum de ſede ſuâ in uterum moliuntur : Quod autem ita fuerit conceptum et in uterum demiſſum, ſuo *amnio* incluſum, ſuo aliquandiù innatat *colliquamento*, et indè alitur, priuſquàm in placentam uterinam radices agat.

Umbilici vaſcula non ab utero ſed ab ipſo ovo originem habent, et maturitatem ſensìm aſſequuntur : nàm non ſolum fœtui ſunt contigua, ſed etiam priùs cernuntur quam adhæſio fiat : quod etiam de placentâ eſt affirmandum, cujus *primordia* lanæ ſpeciem extimo in *Chorio* præbent ; at ubi ſe utero agglutinaverit, tum demum ruborem et carnis formam induit, et quotidie augetur. Ante conceptum venæ uteri arteriæque omnes ita conſociantur, ut

cum

cum placentâ adunari prorsùs nequeant: quinetiàm inter venas et arterias uteri, et innumera capillaria placentæ vaſcula nulla datur quantitatis ratio.

Quod ſi nulla uterus in placentam vaſcula, è contrario, innumeras ferè in uterum placenta ſummittit fibrillas, quibus ex imâ parte emiſſis utero adhæreſcit: Atque hæ quidèm fibrillæ, quod ex intuitu ſolo patet, facillimè ſe in poros ampliores et *ſpongioſam* uteri materiam inſinuant, ità ut per complures menſes firmitèr affigantur, eodem fermè modo, quo videmus herbas frutices arboreſque in terram radices agere. Uterus ante conceptum albus eſt et ſolidus nec membranæ abſimilis; poſt conceptum tuberum ſpongiæque textura ſimilior, et in latitudinem vaſis adeò dilatatis, ut in longitudinem produci nequeant; et inter geſtandum, licet in tantum diſtendatur uterus, minimè tamèn, quicquid temerè nonnulli affirmârint,

mârint,

mârint, attenuatur. Hoc autem tempore facies uteri interna rugoſa eſt et affixam habet placentam; *integumentum exterius muſculare*; *interius vaſculare* innumero pene lymphaticarum arteriarum numero compoſitum, quæ cum in hoc loco longè plures numero ſint, quam in cæteris partibus, eò faciliùs rumpuntur: atque hinc oriri *Menſes* jam diximus. Supra verò memoratæ fibrillæ, quas uterinis cellulis placenta inſerit, arctis adeò vinculis cum utero connectuntur, ut vix poſſint inde divelli, quin ſolvatur continuum, effluatque ſanguis, donec uterus ſe dato ſpatio contraxerit. Hæ fibrillæ utero affixæ, in latera capillarium vaſculorum venæ umbilicalis ſuccum nutritium ſensìm attrahunt, ubi ſanguini admiſtus ad fœtum tranſmittitur: Omnes utique fibrillæ quæ ſe utero inſerunt vim habent alliciendi accipiendique, radicum inſtar *arborearum*, quæ humores

vide errata

terræ accipiunt, nec tamen remittunt: Nam ubi placenta ab utero fuerit ſeparata, nullus ab *ipſâ* ſanguis, nec alius quis humor exit; et verum ſanè fœtûs alimentum lactea eſt illa *mucilago* quam glandes vel arteriæ potiùs uterinæ, ſecernunt in *ſpongioſas* uteri cellulas, et fibrillæ mox *placentinæ* abſorbent: Totum illud quod poſt partum gradatìm effluit, mulieri ex *puerperio* ægrotanti, reſiduum eſt accumulati ſanguinis totius uteri, hoc autèm, quod per aliquot dies à partu fit, *Lochia* vocamus ſive *purgationes.*

Mulieribus à Conceptu clauſum erit os uteri, et nonnihil auctum: Mollius etiam curtiuſque collum quam aliàs. Venter infra umbilicum ſine moleſtiâ augetur, attolitur etiam aliquantulùm *quarto* demum menſe ipſa *umbilicus*, jamque mater fœtûs motum ſentit; quinto vel ſexto ſaltem menſe ſæpè paulatìm reſerare ſibi incipit oſtium uterus adeo

adeo ut *tactu* motus infantis poſſit dignoſci omnemque amplius dubitandi locum, conceperit necnè, omninò adimat.

APHORISMI.

Plerique fœminarum morbi ex officio uteri *malè præſtito, oriuntur.*

Ad rectè intelligendum fœminarum morbos, *matricem, parteſque omnes quæ ad eam pertinent ad amuſsìm cognoſcamus.*

Sanguis menſtrualis mulieris ſanæ, nequaquàm differt à ſanguine qui vaſis ineſt.

Mulieres quæ juſtis temporibus menſtruant, bonâ plerùmque ſanitate fruuntur.

Purgatio non debet inter menſtruandum, neque ſub menſtruorum tempeſtatem adhiberi, ſed poſt evacuationem finitam.

Quibuſcunque mulieribus ad mammas *ſanguis colligitur, furorem ſignificat.*

In quibuſlibet morbis à ſuppreſſione menſium provenientibus, venæſectio, plerùmque *eſt neceſſaria.*

Puellæ valetudinariæ tredecim vel quatuordecim annorum, quibus menſtrua nondùm contigerunt, rarò niſi poſt hanc evacuationem convaleſcunt.

Aſtringentibus inter curationem fluoris albi, *nunquàm utendum eſt, niſi corporis plenitudine purgationibus, detractione ſanguinis et id genus idoneis remediis jam ſatis diminutâ.*

Fluorem album puellis etiam *poſſe accidere, à tertio ad quemlibet ætatis annum, obſervare licet.*

Adultis,

Adultis, *aquæ* Bathonienſes fluore albo *laborantibus, modò non geſtent utero, plurimùm proſunt, præſertim ſi etiàm, more injectionis bis die tepidè utuntur.*

Mulieri menſes decolores *nec* eadem fluentes periodo ; *purgatione opus eſſe indicant.*

Fœminæ juniores raró ante concipiunt quam menſtrua iis contigerint, puerperæque raró, niſi poſt menſtruorum reditum, iterùm concipiunt.

Mulieres quibus parciùs profluunt menſtrua difficiliùs concipiunt.

Mulieres plerumque concipiunt deſinentibus aut incipientibus menſibus—deſinentibus quidem menſibus, quia tunc uterus depuratus eſt. Incipientibus verò quia tunc adeſt materiæ ubertas.

Ubi repurgatæ fuerint mulieres tum potiſſimùm concipiunt viri congreſſu poſitæ, et genitura robur acquirit; tunc enim maximè uterorum os apertum eſt, et diſtentio quædam etiam poſt purgationes manet, venæque genituram attrahunt.

Mulieres ante Conceptum valetudinariæ è Menſibus parciùs æquo profluentibus, poſt partum plerùmque ſaniores evadunt; arteriis evacuationi menſtruali inſervientibus ampliatis.

Mulieres intra ſextum *poſt Menſtruorum evacuationem diem, multò faciliùs, quàm aliàs, concipiunt.*

Plurimæ mulieres ineuntem conceptionem ignorant, menſtruis, duobus *prioribus menſibus ritè profluentibus, ideoque ſibi videntur* ſeptimo *vel* octavo *menſe peperiſſe, cum reverà novem toti menſes ſint peracti.*

Mu-

Mulieribus conceptis, menſtrua compreſſa ſunt, niſi ſi primis aut noviſſimis menſibus; non ex ipſo quidem utero, ſed ex iis quæ ad cervicem ejus pertinent venis, ſanguis nullo fœtûs incommodo feratur.

Si quæ à viro prodeunt unà cum eo quod à muliere emittitur rectà concurrerint, citiùs concipit mulier, amore *enim conciliatur conceptus.*

Mulier ubi concipit ſtatìm inhorreſcit, incaleſcit, et dentibus ſtridet, necnon, aliquandò convulſio prehendit, à cervice uteri quæ videtur ſursùm retrahi à clauſo utero.

Quæ utero gerunt his os uteri connivet.

Si mulieri purgationes non prodeant, neque horrore, *neque* febre *ſuccedente, ciborum verò faſtidia ei accidunt, gravidam eſſe exiſtimato;* ex iis urina manet ſana.

Hujuſ-

Hujuſmodi faſtidia *poſſunt etiàm* non prægnantibus *accidere, ſed cum* horrore *et* febre—*quæ prægnantibus deſunt.*

Virgines ſæpe, ex ſola Menſium ſuppreſſione inappetentiam, nauſeam et vomitus, inſtar utero geſtantium patiuntur. Fluor etiàm ſeroſus è mammis profluit, verum lac *nunquàm niſi gravidis.*

Fluxus menſtrualis quibuſdam mulieribus primis *utero gerendi menſibus eveniens,* debito tempore *menſtruorum contingit, adhibitâque curâ impunè.*

Mulieribus menſtrua vel lochia demittentibus, abſtinendum eſt ab omni motu violentiore, ne aut modum excedat evacuatio, aut uterus jam tumidus et profluens, damnum accipiat.

Mulieres quibus parciùs profluunt menſtrua, dificiliùs concipiunt.

Mu-

Mulieri ſanguinem evomenti, menſtruis erumpentibus, ſolutio fit.

Rheumatiſmo ſæpè laborant Mulieres quæ menſtruali evacuatione juſtâ carent, arthritide rarò.

Mulieri menſtruis deficientibus, è naribus ſanguinem fluere, bonum.

Hydrops in ventre à menſtruis magna ex parte deficientibus, plerùmque oritur.

Hydrops in ventre, qui durante pregnatione contigit, poſt partum ſæpè augetur.

Aquæ in utero nonnunquàm generatæ, non ſempèr à membrana circumcluduntur, ſi mulier coire non adſuevit.

Uterus eandem retinet denſitatem per totum geſtandi tempus, fundo excepto, tùnc denſior facto.

Omnia uteri vaſa ampliora ſolitò ſunt, in mulieribus menſtruantibus, aut ſub acceſſionem Menſium, quoquè magis progreditur prægnatio eò magìs dilatantur.

Si prægnantem facere voles mulierem, ipſam et uteros purgato.

Quæ præter naturam craſſæ exiſtentes non concipiunt, his adeps ovaria *comprimit, neque priuſquàm extenuentur prægnantes efficiuntur.*

In perturbationibus ventris et vomitionibus ſpontè evenientibus, ſiquidèm qualia oportet purgari, purgentur, confert, et facilè ferunt: ſin minus, contra.

Quibus uteri frigidi et denſi nimis, aut prætumidi, non concipiunt; nec quibus ſicci et adurentes, illis *enim genitura extinguitur;* his, *alimenti inopiâ ſemen corrumpitur: At quæ ex utriſque moderatam nactæ ſunt temperiem, eæ fœcundæ evadunt.*

Ju-

Indicia prægnationis incerta mulieribus non juſtis temporibus menſtruantibus plerùmque accidunt, præcipuè annum ætatis triceſimum quintum vel quadrageſimum agentibus.

Ea verò quæ de ſe narrat ipſa mulier, modo fida *ſit, certiſſimo plerùmque erunt prægnationis indicio.*

Mulieres falsâ *prægnatione gravidæ, ventrem habent undique* æqualitèr *extenſum, iis verò, quæ fœtum in utero reverà gerunt,* gibboſior *eminet venter.*

Cum dubitum ſit an mulier conceperit necnè, poſt quartum quintumvè menſem peractum, ſi umbilicus introrſum depreſſus ſit, *et* Os *uteri* arctum, *gracile et* durum, *tùm demùm mulierem non concepiſſe profiteri licet.*

In fœtatione vera, Infans ſeipſum parteſque ſui movet, ſed Mola unicum habet

 motum

motum hìnc illìnc decidendi, fortaſsè etiàm convulſivus *quidam tremor, quem dat uterus exindè irritatus, ſentiri poteſt.*

Totum fœtûs corpus formatur primo conceptûs die, et tùnc temporis ſemine Milii non grandius eſt; reliquum autem geſtandi tempus ſolùm vires magnitudinemque addit.

Concepiſſe fœminam hìnc ſcire licet, cùm ea ſimùl cum viro aut paulò poſt, magnâ voluptate ſemen accipiat viri, et retinet, ſic ut muliebres minimè madeſcant loci.

Si noſcat mulier ſe genituram ſuſcepiſſe, tunc nè virum adeat, ſed quieſcat.

Tunc rigore mulier eo ipſo afficitur die, ac velutì quadam titillatione contrahi uterum ſentit; cujus deindè os ità clauditur, ut nè ſpecilli ſummam admittat aciem: idemque interpoſito tempore, interiùs retrahitur, ut vìx explorari digito obſtetricis poſſit.

Poſt

Poſt hæc mammæ paulatìm grandeſcunt, latera, lumbique exporriguntur, ac venter totus ſine ullo moleſti ponderis ſenſu intumeſcit, umbilico elevato, *ut hoc quoque diſcrimine, tùm à* mola *tùm ab uteri* hydrope, *verus differre conceptus poſſit.*

Tandem verò fœtus moveri incipit, certiſſimum ſui præbens judicium: id quod aliis citiùs, aliis tardiùs, pleriſque omnibus media *imprægnatione contingit.*

Gravidæ quædam motum obſcurum fœtûs primo *menſe peracto percipiunt, complures non niſi poſt* ſex ſeptimanas *vel* duos *menſes, pleræque verò ſub finem menſis* tertii, *aliæ autèm quarto demùm menſe motum perſentiunt.*

Hæ plerumque concepti fœtûs certæ notæ ſunt.

Utero geſtant plerumque mulieres novem *menſes, et licet quibuſdam complures addantur*

dantur dies, decimum vel undecimum menſem nunquam excedunt.

Uſitatus ſanè uteri gerendi computus, eum terminum ſervat, quem Chriſtum *ſalvatorem noſtrum hominum perfectiſſimum in utero matris ſuæ emenſum credimus: nempè à Die Annuntiationis Angelicæ, Menſe Martio, ad Nativitatis illum beatum diem, quem Decembri Menſe feſtum celebramus. Atque hanc* Normam *matronæ prudentiores calculos ſuos ſubducentes, dum ſingulis menſibus, ſolitum menſtrui fluxus diem in faſtos referunt, ſpe rarò excidunt: verùm, tranſactis* decem Lunæ curriculis; *eodem die, quo, abſque prægnatione foret, menſtrua iis profluerent, partum experiuntur, ventriſque fructum colligunt.*

Infans poſt novem *totos menſes peractos enatus, undecim plerumque vel duodecim libras zygoſtaticas pendet; fœtus menſium* octo,

octo, *libras ſeptem vel octo*; ſeptem *menſium fœtus circitèr quatuor libras*; trium *menſium fœtus tres uncias non excedit*; unius *autèm menſis fœtus ſemi drachmam*; decem dierum *ſemi granum*; *unde fœtus primo conceptûs die non excedere magnitudinem* ſeminis milii *facilè poteſt intelligi.*

Quò propriùs accedit fœtus ad juſtum terminum, eò ſemper firmior *et grandior ſolet evadere.*

Infantes poſt juſtum novem menſium terminum nati grandiores ſolitò ſunt.

Infantes quos ſeptimus *reverà menſis protulit, rariſſimè vivunt, è numero autem eorum quos in lucem edidit menſis* octavus, *pars major vitæ compotes fiunt, adſit modò nutrix diligens et perita.*

Superfætatio nequaquàm fieri poteſt niſi poſt ſextum *à conceptu* diem, *quia neceſſe eſt ſecunda ſe immiſceat primæ, quæ membranam, quâ ſatìs tueatur nondùm ſit adepta.*

Superfætatio inter ſeptimum et triceſimum poſt conceptum diem, ſi ulla unquam fieri poteſt, ſempèr evenit.

Si qua imaginationis vis prægnantium fœtûs corpori notas poſſit imprimere, ſunt enim qui hoc credunt, non niſi primis à conceptu diebus fieri poteſt.

Si mulieri utero gerenti purgationes menſtruales eant, fœtus ut benè valeat fieri non poteſt, præſertìm in ultimis menſibus: Hoc plerùmque fit, aut ubi ſanguis et humores calidi nimis et acres, aut ubi parùm firma ſint vaſcula, nec infanti ſuppetat alimentum.

Ad

Ad conceptum minùs idoneæ *ſunt Mulieres* majores, *parvis*; craſſæ, *tenuibus*; rubicundæ, *albis*; lividæ, *nigris*; quæ venas non habent conſpicuas. Mammas parvas *non tumidas habentes. Non* ritè menſtruantes. Utero malè temperato, *vel* ore uteri *retracto, prono, averſo, concluſo, et everſo.*

Mulieres quibus uterus malè temperatus eſt, calidior, aridior, frigidior, humidiorve juſto, plerùmque STERILES *ſunt.*

Mulieres ſteriles *valetudine magis laborant, quàm cæteræ.*

Oritur plerùmque ſterilitas, *fœminarum vitio, triginta enim Mulieres* ſteriles, *in ſingulos viros impotentes, ſi diviſio fieret, inveniri poſſunt.*

Os Tincæ in ſterilibus *plerùmque tenuiùs et arctiùs eſt, quàm fœcundis.*

Nonnullæ ſterilitatem *ad tempus ſolum patiuntur, quippè quarum temperies ità ætate mutatur, ut procreationi tandèm inſerviat.*

Falſus ſæpè numerò conceptus in Muliere ſterili, *futuræ fœcunditatis eſt præcurſor.*

Mulieres quæ poſt annos aliquot in ſterilitate *conſumptos tandem concipiunt, ſæpè continuæ fœcunditatis compotes fiunt, vaſis menſtruali fluxui ſervientibus prægnatione dilatatis, et in poſterum liberiora factis.*

Sunt et mulieres quæ cum viris aliis ſunt ſteriles, *aliis fœcundæ.*

Balnei calidi Bathonienſis uſus, *adbibitis poſteà* aquis mineralibus, *multùm prodeſſe poteſt*, ſterilibus, *amovendo uteri obſtructiones, unde orta eſt* ſterilitas.

Mulieres

Mulieres quæ, intermiſſâ paucos annos prægnatione, pinguiores fiunt, ſæpiſſimè in futurum omninò non pariunt.

Quamplurimæ mulieres propter *abortum* ſeu *partum difficilem*, STERILES evadunt, ob inſignes *lacerationes*, *contuſiones*, *inflammationes*, &c. quæ uteri diſpoſitiones omninò evertunt; et mulierum mortuum autopſiâ, non raro obſervamus *tubas fallopianas*, non ſolùm circa uteri introitum claudi et cohæreſcere, ſed etiam circa extremitatem earundem fimbriatam, et magis apertam, ubi dùm placentam paulò arctiùs adhærentem, extraheret *obſtetrix imperita* et violentiſſimè tractaretur; et coalitione orta extremitatis fimbriatæ tubarum, ab inflammatione quâ partes utero contiguæ correptæ ſunt, poſt *aborſum*, ſeu *partum* laborioſum malè adminiſtratum: undè abundè liquet,

quàm exitioſum ſit, in *Partu* vel *Abortu difficili, Obſtetricantibus uti imperitis, aut etiam Medicis vel Chirurgis, non ſatis inſtructis, et exercitatis, in Arte Obſtetricaria.*

Id uteri vitium quod *Mola* appellatur nulli accidere fœminæ ſine viri conſuetudine poteſt. Informis in utero conſiſtit caro, cute, vel membranis circumdata, venaſque intus multas habet, ſine viſceribus tamen, ſine inteſtinis, atque oſſibus. Ea caro, aſſumpto per venas ſuas alimento, indies creſcendo, uterum omnem ingenti mole implet, ut vel octimeſtris etiam ſubeſſe partus exiſtimetur. Hæc verò moles non ſæpè per omnem vitam intus tutò manet: paucis etiam quarto anno, aut quinto excidet: pleriſque omnibus tertio quartove excluditur menſe, ſpemque prægnationis omnem falsò conceptum ludit. Siquidem in hoc vitio, *Menſtrua retinentur, Mammæ intumeſcunt*, urget cibi faſti-

faſtidium, *facies decolor* eſt, venterque indies magis ac magis grandeſcit. Verùm ut his notis impraegnationi conſentit, ſic rursùs *ab ea diſtat*, quòd *durior* hic eſt tumor, et quod *nullo*, id quod intùs eſt, *motu proprio* cieatur, ſed ſtabile inhæreſcat, gravitate fixum ſua, nequè unquàm, niſi ubi vel premitur, vel ubi fœmina in latus convertit, moveatur. Tum enìm, non ut fœtus, *leni blandoque* impulſu, ſed impetu quodam, in quam partem corpus inclinat, provolvitur. Quinetiàm ſubìndè informis hæc caro, aut multus ſanguis cum humoribus intùs cumulatis, nèc raró etiam flatus excluditur. Quibuſdam quales inter pariendum eſſe ſolent dolores atque preſſiones, ab eo, quem dixi flatu oriuntur. Omnibus autem inter hæc corpus extenuatur: inceſſus fit difficilis, ſic ut propendere pondus aliquod ex utero videatur: tandèm veró cùm

JECUR

JECUR quoque unà jàm affici cœperit, ipſe ſequitur *hydrops*.

APHORISMI.

MOLA *nihil aliud eſt quàm conceptio* falſa, *quæ manendo in utero ultra tempus, in quo Natura hujuſmodi materiam extraneam ſolet expellere, incrementum magnum accepit : ſiquidèm una caro cum utero fiat, mulier perit ; neque enim fieri poteſt ut ſuperſtes maneat.*

Falſa conceptio ſive mola, nulli unquam Mulieri citra coitum, contingit.

Molæ non niſi in uteris mulierum generantur, in cæteris animalibus raró aut nunquàm inveniuntur, quippè quæ plerumque non niſi certis temporibus coeunt, idque quùm natura ad veram conceptionem parata ſit.

Mola

Mola nullam placentam, nullum funem habet, cùm ipſa plerumque nihil aliud ſit quàm quædam placenta morboſa, ex qua fœtus latens evaſit, in primis *poſt conceptum diebus.*

Cùm veræ molæ, conceptiones ſint prægrandes, id genus corpora præternaturalia raró ultra juſtum terminum pariendi, in utero manent.

Imo hæ conceptiones falſæ ſæpiſſimè ante menſem tertium expelluntur.

Quùm Menſes ſine certis *imprægnationis notis retinentur, ſimùlque venter* ſine hydrope *intumeſcit; ſcire licet aliquid in utero, quod præter naturam ſit, ineſſe, irritum videlicet conceptum, vel molam, vel flatum.*

Mola omnis, niſi inter initia curetur, ægerrimè tolli poteſt.

De

De *Abortione et Gravidarum* Morbis.

MORBIS omnibus quibus viri obnoxiæ ſunt fœminæ, multiſque etiàm ſuo *propriis* ſexui: atque utero graves, parturientes, vel ex puerperio cubantes, morbis ſæpè tentantur qui nullam habent cum puerperio, vel graviditate *affinitatem*; *febres* præſertim omnigenæ quarum quamvis non alia ſit *eſſentia* et natura, nec alia curandi ratio; quùm tamèn his temporibus contigerint, longè difficilior curatio, nec ſine cauto prudentiâque ſummâ, remedia aliàs idonea ſunt adminiſtranda. Neque enim tunc temporis medico licet ſecurè adèo venæſectione, emeticis, epiſpaſticis, ſudorificis, catharticis, uti; non eadem denique victûs ratione. Atque inter

utero

utero gerendum ſedulò ſempèr cavendum nè fortè abortio cieatur, aut etiàm partus maturetur quotieſcunque morbus non ſit prægnationis *affinis.* Quamvis enim morbi prægnatione oriundi aut decedant aut miteſcant ſaltèm *partu*; hi tamèn quibus nulla prorſùs *cognatio*, plerumque partu augeri ſolent: et ut HIPPOCRATES inquit, "*Si Mulier* "*utero geſtans morbum habuerit non* cog- "natum *in puerperii purgatione perit.*" Quarè ut in omnibus gravidarum morbis non *cognatis* geſtationi, id imprimis cavendum eſt ne *abortus* fiat, aut *enixus prematuri* excitentur; ita in his omnibus qui *puerperio* ſuperveniunt, ut rectè ſe habeant *lochia* prima ſit cura: multæ ſanè magnæque difficultates, quibus in hoc periculoſo et impedito rerum ſtatu implicamur, ſummamque peritiam, diligentiam fidemque poſtulant. Atque ut ſæpenumero haùd facilè eſt gravidæ puerperæve morbum *cognatum* & non

cognatum dignoſcere, ità nunquàm non arduum res *lubricas* adèo multipliceſque ritè et tutò adminiſtrare. Quod ad *febres* attinet, hæ quidem facile *dignoſcuntur* quas verò curandi rationes, ſi gravidas aut ex puerperio cubantes invaſerint, nemo niſi peritiſſimus rei medicæ novit. Quanto igitùr diſcrimine laborat Muliercula, quæ hujuſmodi multiplici periculo implicita, manibus *imperitis* operam locantis in his rebus, qui nè videt quidèm mala, nedum eſt adverſando. Et *febres* geſtationis comites ſæpè dolores parturientium ſimiles excitant, qui ut ritè dignoſcantur acri opus eſt judicio, et ſummâ curâ ne *abortum* faciat gravida, quod ubi evenit, de matre ſimùl et infante ferè conclamatum eſt; hic autem ut in omnibus morbis qui prægnationis minimè ſunt *affines*, maxima adhibenda eſt diligentia, ut quicunque acceſſerit morbus huic ritè occur-

occurratur, ità tamen ut ab *abortu* quam diligentiſſimè caveatur.

Mulieres gravidæ, ſi fortè ſub partûs appropinquationem *febre* vel continuâ vel intermittente laborant, doloribus plerùmque ità afficiuntur ut parturire videantur; ſanguis enim in uteri et placentæ vaſculis, humoreſque quibus infans circumcluditur, ardore quem febris *exacerbationes* afferunt admodùm rarefiunt, membranas diſtendunt, et inquietudinem infanti inferunt, undè dolores, iis quos parturientes patiuntur *ſimilimos* excitantur. *Obſtetrices* autèm cæterique obſtetricium exercentes, cùm *veros* inſtantis partûs dolores adeſſe credant, hos ſæpè proritant et partum maturare ſtudent; quod ſi jam ingraveſcente febre, et vaſculis circa mulieris genitalia ſupra modum diſtentis efficiant, mors ſæpè et matrem et infantem ſimùl obruit. Illi verò, ſi ſibi, et ægrotanti sìc conſulerent ut prudentes decet, *peritum*

aliquem medicum, qui rebus hujuſmodi *dubiis* intereſſet, accerſirent, ut illius operâ ſolerti cauſis horum *fallacium* et *periculoſorum* dolorum ſublatis, enixus ſuo tempore accedat, et partus felicitèr conficiatur; intereſſe *omnium* etiam mihi videtur, ut caveatur ne obſtetricibus, iiſve qui imperiti rei medicæ obſtetricio dant operam, in *rebus arduis*, negotium omninò committatur: admonent enim puerperarum crebræ mortes, quanto periculo *temerariis* manibus traduntur, et quàm neceſſaria ſit *medicinæ ſcientia*, ſiquandò *diverſis* cauſis, geſtationi non *cognatis*, obſtetricium implicetur, quarum periculo occurrere *omninò medicorum eſt*: neqùe verò priùs occaſionem hanc, undè natus eſt hic ſermo, poſſum dimittere, quam *obſtetricaſtris* illis, ut ita dicam, etiam atque etiam ſuaſerim, ne ſe ſolos, tantis periculis opponere præfidentèr audeant, quìn *medici* alicujus periti concilio adhibito quam cautiſſimè

agant,

agant, ut non ſolum vitam, ſed incolumitatem puerperæ conſervent. Nam magna licèt *ſcioli* de ſe ſuiſque dotibus temeré ſperare ſoleant, haud facilè quiſquam evadit *medicus* et nemo unqùam repentè fuit peritiſſimus; multa certè priùs ſunt diſcenda, multa priùs perſcrutanda, quam ad medicæ artis prudentiam perveniri poſſit: ſi igitur iſti rem æquo animo perpenderent, neceſſe eſſet fateantur eſſe temeritatis, ſummæ audaciæ, *inauſpicatas* manus duplici, et matris et infantis vitæ, diſcrimini immiſcere.

Sicubì verò nullus ſit, in propinquò medicus, ſuâ cuique utendum eſt facultate, et pro virili agendum; quò parciùs tamèn, eò plerumque tutiùs: nàm meâ quidem ſententiâ, ſatiùs eſt ut naturæ permittatur ſe ipſam expedire, quàm ut *improbo* perturbetur officio, quo, *concitatis doloribus*, præmaturus partus urgeatur. Siquidèm inter febrem partus retardandus eſt, nedùm incitandus aut

etiam

etiam capeſſendus, niſi *convulſiones graviſſimæ*, vel *immodica profluvia* id ſuadeant, nè ipſo facto, infans pereat et mater haud ita multò poſt : nàm ut Hippocrates rectè dicit, *ſi mulier utero geſtans morbum habuerit non* COGNATUM, *in puerperii purgatione perit.*

APHORISMI.

PLURES primis quadraginta diebus, quam aliis omnibus abortiones fiunt, quo tempore præterito, valentiores fœtus exiſtunt.

Dies inter alios inſignes, quàm aliis omnibus effluxiones *fiunt, ſunt, maximè primi et* ſeptimi, *ac multùm quidem in morbis, multùm etiam in fœtibus poſſunt effluxiones abortioneſque enim plurimæ his diebus contingunt.*

Si ſemen in ſeptimam *diem intùs permanſerit, conceptum jam eſſe certum eſt, nam quæ* effluxiones *vocantur, intra tot numero dies fieri ſolent.*

Indicium eſt mulierem jàm concepiſſe, cum ſtatim à coitu locus ſicceſſit.

Nonnullæ mulieres facilè concipiunt, fœtus tamèn perferre nequeunt, ſed ſub tertium aut quartum menſem perdunt, nullâ cauſâ externali, neque cibo minimè idoneo accedente; ſed hæ cauſæ abortionis *continentes ſunt fœtûs imbecilitas, nutricatûs inopia, et uteri cavitatis laxitas.*

Uteri ipſi ità ſunt aliquandò à natura comparati, ut abortionem faciunt, nempè, ſi laxi, flatulenti, denſi, magni, vel parvi, fuerint.

Cibus et potus copioſior in puerperis corruptionis et abortionis cauſa eſt.

Si

Si mulier ventris aut lumborum dolore conflictetur, metus eſt nè ruptis membranis, fœtus abortione rejiciatur.

In plethora venâ ſectâ abortus præcavetur in gravidis, parciùs verò et in primis *præſertìm menſibus,* vicibus iteratis, *et quasì per anticipationem, paucis diebus à tempore uſitato menſtruandi.*

Plerumquè in venæſectione prægnantium, ſi res urgeat, intereſt, non quæ ætas ſit, nec quid in corpore intus geratur; ſed quid vires ſint.

Mulieri uterum gerenti, venâ ſectâ et ſanguine inaniri, *quâ fraudatur fœtus ſuo genio, abortionem facit, id verò potiſſimùm, ſi fœtus* grandior *fuerit.*

Non ità, moderata et parcita ſanguinis miſſio, quâ ſæpè in gravidis ſanguinem cumulantibus *præcavetur abortio; earum*

verò

verò inflammatorii plethoricique affectus ſanantur.

Vomitus, inappetentia, et ſimiles, in non gravidis, magis indigeant purgatione quam venæſectione, quià fiunt à cacochymiâ in ventriculo, et toto corpore redundante: in prægnationibus verò magis egeant phlebotomiâ, quia fiunt ex ſanguine retento ab ipſo graviditatis initio. Et docuit experientia vomitum, quæ prægnantes frequenter infeſtare ſolet, primis geſtationis menſibus, à purgationibus exacerbari; à venæſectione verò plurimum ſublevari; imò verò in totum auferri, ſi uſque ad ſolutionem ſymptomatis ſingulis menſibus *uteretur.*

Evacuatio purgans quæ ſit per clyſteres non omninò tuta eſt, quià comprimendo et irritando uterum poteſt abortum excitare. Ubi igitùr illâ opus fuerit, et in mulieribus aſſuetis, huic remediorum generi, in minori quantitate componi debent, et ex iis potiùs,

quæ leniendi, quàm validè purgandi facultate prædita ſunt.

Sudorifera utero gerentibus tutiùs quàm diuretica, adminiſtrari poterunt, quia per habitum corporis humores educant, unde nullum imminet abortûs periculum : ità ut nonnullæ mulieres in media graviditate *à* lue venereâ, *illæſo fœtu, liberatæ ſunt.*

Mulier, ſi quæ concipiat quidem, et frequentèr, ſed fœtus bimeſtres, trimeſtres, aut quadrimeſtres, et vetuſtiores, ſtato tempore, *ſemper, et certò excutit, illud eſt referendum ad uteri anguſtiam, quæ augeſcentem fœtum amplius continuere non poteſt.*

Numerus etiàm excedens abortum efficere poteſt : ut ſi duo, tres, vel plures in utero contineantur, periculum eſt, ne uterus nimia ſarcinâ gravatus, illos præmaturè ex-

excludat: unde frequens fieri ſolet gemellorum aborſus.

Mortuus etiam fœtus ad hanc claſſem referri poteſt, ad cujus excluſionem natura continuò inſurgit.

Abortus contingit, ſi aliquid præter naturam in utero ſuccreverit, ut inflammatio, tumor ſchirroſus, abſceſſus, mola, et quamplurimi alii morbi.

Teneſmus *ſupra omnes alios morbos abortum efficere conſuevit, quandoquidem à frequenti ac ferè continuo egerendi conatu, qui teneſmum perpetuò comitatur, muſculi abdominis aſſiduè contrahuntur, et uterum magis comprimunt, quam inteſtinum rectum, cui ſuperjacet, et continuam illam compreſſionem fœtus excluſio tandem ſubſequitur.*

Inveniuntur fœminæ plethoricæ, otiosè et opiparè viventes, quibus, niſi bis aut ter geſtationis tempore ſecetur vena abortus imminet.

Decies tot abortiones intra duos vel tres primos geſtationis menſes fieri ſolent, quòt fiunt poſteà, utilius eſt ergò præcautionis cauſâ intra duos, vel tres primos menſes quam poſt dimidium *termini exactum, ut plerique ſuadent, mulieri ademiſſe ſanguinem parvâ tamen quantitate, et partitis vicibus ut opus videbitur.*

Superabundantia ſanguinis conceptum ſæpè recentem perdit, et abortionem infert.

Sæpenumerò inveniuntur mulieres, quæ primis geſtationis menſibus abortum faciunt, ex ſolâ temperie ſanguineâ.

In chacochymia, purgatione blandâ frequentèr iteratâ, mediis præſertìm menſibus geſtationis, uſui aliquandò eſt.

Uterum gerentibus medicamenta ſunt exhibenda, ſi humor impetu fertur ad excretionem, quarto menſe et ad ſeptimum uſque his tamen minùs.

Sed potentibus medicamentis, perpurgari, abortionem facit.

In minoribus ergo et gravioribus fœtibus, ſub timidè ſe gerere oportet.

Mulieri utero gerenti ſi alvus multùm fluat, periculum eſt ne abortiat.

Undè monemur nos non debere ſine ſummâ neceſſitate dare purgans mulieribus gravidis, quibus frequens eſt alvus adſtricta ; ſed ſi neceſſitas ducendi alvum in gravidis urget, ſolummodò alvum laxantia *ſunt propinanda,*

et

et tàm parvi doſi, *ſed tamèn iteratis vicibus, ut duntaxat ſemèl, aut bis ex medicamenti uſu alvum deponant.*

Mulieri utero gerenti ſi crebra, et inanis deſidendi voluntas, teneſmum *dicunt, acceſſerit, abortum facit; idem de* dyſenteria *quoque verum eſt.*

Nil magis exitioſum eſſe puerperis conſtat paſſim ex Hippocrate, et experientiâ ipſâ quam alvi profluvium cum teneſmo.

Si a cauſis externis violentioribus, putà ictu, vel caſu, et ſimilibus vehemens dolor et perturbatio in gravida excitantur; ſtatim, vel ſaltèm eâdem die ſequitur abortus.

Si verò minor fuerit vis cauſæ externæ; ad tertium *diem, aborſum differri poſſe, quo elapſo, ceſſat plerùmque aborſûs periculum.*

Quibus

Quibus prægnantibus ex caſu, aut convulſione, aut ictu labores contingunt, ferè *intra triduum apparet, nùm abortum facturæ ſunt; nàm dies* tertius *eſt primus eorum, quos provocatorios vocant medici: notandum verò eſt, non conſtat ſæpius de hac re, ante* ſeptimum *diem.*

In quas prægnantes morbus acutus *incidit hæ omnes quod ſciam abortionibus periclitatæ ſunt: tum ob difficultatem curandi tum ob ſymtomatum vehementiam et fœtûs ſupervenientem ſæpiùs interitum.*

Si poſt lumbagines graves inter geſtandum utero, excretiones inuſitatæ ex utero proveniant, periculum abortionis ſummum mulieri imminet, præſertìm ſi excretiones ſanguine *inficiantur.*

Periculo multo majore laborat fœmina quæ abortionem facit, quam quæ debito tempore parturit.

Fluxie

Fluxio ſanguinis immodica abortionis plerumque comes eſt.

Infans abortivus in ipſa abjectione perit, vel paulò poſt.

Quantò magis ſubitaneus eſt aborſus, præſertìm à cauſa aliqua violenta, *eò difficilior placentæ extractio.*

Quæ ſtatis temporibus abortiunt, uterum habent prædurum vel prælanguidum.

Si mulier ſæpiùs abortum facit, et eodem tempore ſempèr, *ut tertio, quarto, vel quinto menſe, ob uteri* anguſtia *accidit, quæ augeſcentem fœtum ampliùs continere non poteſt.*

Abortum faciunt mulieres quæ uteros habent flatuoſos, denſos, vel parvos.

Abortio

Abortio ſive partus naturalis *continget, à mole nimiâ, pondere, et morſo.*

Quæcunque mediocritèr corpora habentes, ſecundo, *aut* tertio *menſe, abortiunt, ſine cauſa manifeſta, iis* cavitas *uteri plena mucoris ſunt, et non poſſunt propter pondus fœtum continere, ſed diſrumpuntur placentæ radiculæ.*

Si mulieri utero gerenti, mammæ ſubitò *extenuantur,* abortus *ſequitur; ab uteri actione debilitatâ, et quod fœtus aut mortuus eſt, aut placenta ab utero ſeparata vel debilitata; ſi verò* paulatìm *detumuerint mammæ, minùs periculoſum.*

Quæ præter naturam tenues utero gerunt, abortiunt ſecundo vel tertio menſe plerùmque, donèc pleniores evadunt: quomodo enim fœtum aluerint eum ità extenuatæ ſeſe alere nequeant?

Aborſus periculoſior eſt ſexto, ſeptimo, et octavo menſe.

Fæminæ quæ laxiorem, et humidiorem uterum habent, ſine noxia, ut plurimum abortiunt, primis potiſſimum menſibus, quia partes iſtæ facilè cedunt, unde minor ſequitur moleſtia.

Si fœtus vitâ caret, *nullus intus motus eſt, qui ante frequens fuit, venter gravis eſt, et quasì procedere velle videtur, nihilóque ſeciùs ac ſi hydrope urgeretur, intumeſcit, diſtenditurque et cadaveris pondere oneratur: idem ſimulque latera refrigeſcunt, quæ ante caluerant: ingens dolor circa umbilicum verſatur: ſtomachus mordetur: ſpiritus malè olet: oculi minuuntur dolentque: nares atque aures frigidæ fiunt: totus vultus pravo colore fædatur: ipſa mulier crebrò inhorreſcit: et in animi labitur defectionem: interdùm* convul-

ſionibus

ſionibus *quaſì* commitialibus *diſtenditur: ferè autèm ſempèr gravi vigiliâ urgetur.*

Si mammæ ſpontè *extenuantur, aut ex his lac* aquoſum *fertur: latera, ſuperiusque arctantur: lumbi, coxæque gravitatem inſolitam habent, et pigrè moventur: fœtus, ſi vitam habet, vix movetur: poſtremò aqua profluit ſanioſa, tenuis, dein ſanguinea, poſt quam ipſe ſanguis, hinc grumus, atque tum protinus fœtus excluditur.*

Plerùmque etiam plus negotii abortus, quam maturus partus exhibit.

Dolores frequentes, et ferè continui, renes et lumbos excruciantes et qui versùs pubem et os ſacrum exporrigantur cum quodam ex utero egerendi conatu, indicant abortum imminentem, mulieri utero gerenti.

Ni mala urgeant ſymptomata, omnis aborſus ſeu partus, naturæ committatur, aquis *vero* non formatis, *prohibendus eſt partus.*

Dolores abſque aquis formatis, anodynis, *vel enemate emollienti et carminativo, parva* quantitate *et iteratis vicibus, ſæpè ſedantur.*

Hæmorrhagiæ inſignes utero gerenti ſupervenientes, ad quas ſyncope, deliria, inflammatio et convulſiones ſequuntur, mortem inferre ſolent.

Mulieri uterum gerenti, ſi lac copioſum è mammis effluat, fœtum imbecillem indicat: quod ſi ſolidæ mammæ fuerint, valentiorem fœtum ſignificant.

Cum fœtus movetur, tunc lac de ſe ſignificationem matri exhibet; mammæ enim

attolluntur

attolluntur, et papillæ turgeſcunt, neque lac prodit.

Quæ fœtus corrupturæ ſunt, iis mammæ extenuantur.

Quod ſi duræ iterum evadunt, dolor erit vel in mammis, vel in coxis, vel in oculis, vel in genibus, neque fœtum corrumpunt.

Si Mulieri prægnanti fiat in utero eryſipelas, lethale eſt.

Mulieres gravidæ ſanguinem è brachio debent amittere quandocunque ex hæmorrhoidum dolore laborant.

Novæ nuptæ, uteri perturbatione ortâ, ex coitu nimìs fervido, et frequentiùs æquò petito, non raró abortiunt.

Perturbationes animi violentæ, ad abortionem mulieres ſæpè impellunt, timor præſertìm ſubitus et ira repentina.

Sunt

Sunt et mulieres quæ, ut facilè concipiunt ita ad abortionem, nullà manifeſtâ cauſâ proclives ſunt.

Emiſſio aquæ cruore tinctæ ex utero mulieris gravidæ, abortionis eſt plerùmque præcurſor.

Mulier quæ abortum fecit SECUNDAS *difficiliùs dimittit, quàm quæ ſuo tempore peperit.*

Mulieres quæ variolis *laborantes abortiunt, non ita multò poſt, plerùmque moriuntur.*

Inter abortiendum ante quartum vel quintum geſtationis menſem, non eſt cur ſollicitus ſis de fœtûs poſitione, quem, præ ejus exiguitate, natura nullo negotio abjecturus ſit, qualiſcunque poſitio contigerit.

Cum

Cùm in abortibus intra duos vel tres primos geſtationis menſes factis, uterus ad menſuram fœtûs tantùm aperiatur, non raró ſit ut placenta, ampliorem tùnc temporis modum ſortita, diutiùs in utero retineatur.

Fœtûs magnitudo mortui in abortiis non ſempèr ea eſt quam ex geſtationis intervallo in quo abjiciuntur expectare licet, quippè, magnitudinem *ſempèr eandem habet ad quam moriens fuit provectus.*

Mulieres ad abortum procliviores, oportet, ut coitum fugiant quinque vel ſex menſes, et cum primùm ſe concepiſſe perceperint, ut quam maximè quieſcant.

Placentæ ſchirroſæ *ſæpè abortionem inferunt, cum* jam grandior factus eſt fœtus, *iſtiuſmodi enim placentæ obſunt, quo minus alimenti ſatìs idonei ſubminiſtretur.*

Infantes præmaturo partu editi etſi vivant, raro vocem *exprimunt ante* finitum tertium menſem, *cum nondùm valeant pulmones ad vagitus expreſſo ære exciendos.*

Abortus, quos ipſæ mulieres ſibi excitant, multo majore fiunt vitæ periculo, quam qui nullâ miniſtrante violentiâ ſpontè fiunt.

Ut violentior aut mitior eſt cauſa, ità majus vel minus periculum abortus afferunt, ſive ex medicamentis abortivis, ſive ab externa injuria, oriantur.

Quibuſdam mulierculis tenera adeo debiliſque eſt ſuarum partium compages, ut vel leviſſimâ cauſâ, putà, brachio inconſultiùs extenſo, abortum faciant.

Non poteſt fieri ut mulier, abjecto gemellorum altero, ad juſtum terminum alterum geſtet.

Mulierem

Mulierem utero gerentem morbo quopiam, præsèrtim acuto, *corripi, malum.*

Alia curatio morborum mulieribus gravidis, alia non gravidis, conveniat.

In omnibus morbis prægnationi non cognatis, *illud imprimis cavendum eſt nè abortus fiat et enixus præmaturi cieantur.*

Longè periculoſiſſimi ſunt morbi fœminis utero geſtantibus, quoniam ea remedia, quibus fœtu vacuæ ſanari ſolent, adhiberi non debent.

Quæcunque utero gerentes febribus detinentur, et vehementer extenuantur citra manifeſtam cauſam, eò difficultèr et cum periculo pariunt, aut in abortionis periculum incidunt.

Poſt miſſum ſanguinem adhibita cathartica adverſus acutas pleraſque *febres plu-*

rimùm valuêre: atque in hujuſmodi quidèm febribus, ubi nimia ſanguinis humorumque quantitas, quotiès detracto priùs ſanguine, ciendo alvum ſatis evacuare datur, nec tamen impetum ſanguinis nimis augere, et rationi conſentanea et tuta erit hæc medendi ratio,

Adverſus omnigenas febres eæ curandi rationes et remedia, quibus diminuitur quantitas *et attenuando corrigitur* qualitas *ſanguinis, plurimùm ſempèr valent.*

Ex idoneo diaphoreticorum uſu, quibus tranſpirationi, quam vocant inſenſibili, inſervitnr, optima licet omnigenarum *febrium remedia ſperare, miſſo priùs ſanguine, id modo res poſtulaverit, evacuatiſque primis viis:* efficaciſſima autèm ea curandi ratio præcipuè, in iis febribus *quæ* utero gravibus, vel puerperis incidunt.

Uveſ-

Uveſcente tandem linguâ febricitantis, quæ fuerat aridiſſima,, mox abit febris.

Si mulier gravida ita morbo aliquo laborat, ut operatione chirurgica inſigniori opus ſit, ſcilicèt è calculo in veſica, fiſtula in ano, vel quovis alio hujuſmodi operæ pretium erit, modo res ſinat, operationem *non niſi poſt* partum *perfeciſſe.*

Mulieres quæ abortum faciunt aut pariunt, dum febre continuâ afficiuntur, maximo vitæ periculo laborant, iſtæ præſertìm quarum febri adeſt fluxio in pulmones, et quæ aſthmaticæ ſunt.

In omnibus gravidarum morbis, dum morbi acerbitate, magis laborat natura quàm ut evacuationi lochiorum quæ fœtûs eductionem ſequi debent, ſervire poſſit, ſummoperè partum prævenire convenit.

Morbos quos ſecum attulit prægnatio, partus plerumque adimit, ii verò, qui nullam habent cum prægnatione cognationem, *poſt partum, graviores ſolent fieri.*

Cortex Peruvianus, non minus tutò gravidis, quam quibuſvis aliis, in medelam febris dari poteſt.

Mulieribus infirmis maximèque morbis obnoxiis, liberos valde ſanos, nonnunquam peperiſſe contingit.

Uteri ſuffocatio ex ſuppreſſis et corruptis menſtruis, vel lochiis, oritur.

Odoramenta quæque mulieribus, quarum uteri ſuffocari adſueverunt, nocent, maximè autèm ſi poſt partum fieri ſolet.

Diarrhœa ſæpenumerò abortionem affert, præſertìm ſi diſenterica ſit.

Dyſenteria,

Dyſenteria, quæ abortionem attulit, ultra quatuor dies manens, plerùmque periculoſa eſt.

Mulieres quibus ſanguis uterinus in primis *geſtandi menſibus profluit, ſanguinis quantitatem modicam è brachio amittant, ſimul et quieſcant, omninò non coeant.*

Si mulieri utero gerenti purgationes eant, ſæpè et multum, impoſſibile eſt fœtum eſſe ſanum præſertim in ultimis *menſibus; aliquando enim ſine fœtùs læſione paucus ſanguis ſemèl et iterùm ſtillat gravidis, deſcendens per venas in uteri cervicem.*

Hæc autèm, etiamſi copioſa profluvia, in menſe ſecundo vel tertio, impunè plerùmque accidunt, haud ità tamen in duobus poſtremis.

Profluvia verò immmodica quæ mulieribus gravidis nonnunquam accidunt, ex abruptâ

abruptâ placentâ plerùmque oriuntur, neque ceſſant niſi poſt partum, et quo propriùs ad finem termini accedunt, eo periculoſiùs habentur hujuſmodi profluvia, quibus ſi crebræ animi defectiones adſint, mortem ſæpenumerò et parenti et infanti afferunt.

In profluviis immodicis *ubi res poſtulat ut educatur fœtus, multo majore diſcrimine laborant illæ mulieres quibus os tincæ craſſius et durius eſt, quam illæ quibus tenuius et mollius eſt.*

Profluvia immodica *unà cum convulſionibus, in mulieribus prægnantibus plerùmque ſunt lethalia.*

Venæſectio in brachio, perquàm neceſſaria et ad conſervandas mulieres profluviis immodicis obnoxias; in modicis etiam profluviis multùm prodeſſe poterit, fugienda nihilominùs inter immodica profluvia.

Ut

Ut ex utero, totius corporis plenitudo emittitur, injectiones aſtringentes adhiberi non debent, niſi profluvium nimis copioſum poſtulet.

Præmiſſam placentam immodica profluvia ſequuntur, quæ mortem ſæpè puerperæ et infanti afferunt, niſi maturatus partus præveniat.

In quovis prægnationis intervallo, ſi ab immodicis profluviis *ſæpiùs animo deficiat mulier, eductio fœtûs, unicum eſt remedium, ad conſervandum et matrem et infantem.*

Si parturientis immodica ſint profluvia, membranæ quam citiſſimè rumpendæ ſunt; cave tamen nè membranas attrahas, nè abruptâ placentâ, adaugeant profluvia.

Licet fœtûs eductio, præſentiſſimum ſit remedium in profluviis immodicis, parum ſæpè prodeſt, quum ſerius *adhibetur.*

Si ſanguis uterinus mulieri gravidæ ex uteri fundo profluit, abortio nunquam non ſequitur, ſi verò ex uteri collo, remedii ſpes reſtat; utque certior fias undè eveniat, obſervandum eſt, an os tincæ ſit apertum aut clauſum.

Animi deliquia crebra, aurium tinnitus, oculorum hebetudo, vel caligo, mortem propinquam denotant, cum ex immodicis profluviis oriuntur in mulieribus quarum ſextus *prægnationis menſis præteriit; præcipuè ſi* ictus, *vel quodvis aliud infortunium, ſit profluvii cauſa.*

Si alimenta quæ apprimè appetunt gravidæ, optima et ad nutritionem maximè idonea

idonea non ſint, omninò anteponendaſunt iis alimentis quæ fugiunt et oderunt.

Si mulieres gravidæ quidquam frigidius vel cui glacies ineſt, biberint, exindè colicam paſſionem ſæpè patiuntur, et abortiouem faciunt.

Mulieres gravidæ quibus aceſſere ſive ardorem pati ſolet ſtomachus, ab acidis fructibus immaturis, et ſaccharo, abſtineant, vel etiam vinum fugiant, nàm vinum ut alimenta in ſtomacho aceſcant, efficit, ipſumque ſit acidum.

Mulier prægnans ſub menſem poſtremum termini debet quieſcere, quià circa hoc tempus, ſeſe vertit infans ut naturalem ſitum capiat, et prægnantis motus poteſt efficere, ut infans, non recto ut debet, ſed obliquo *motu vertatur.*

Si res poſtulat ut mulier gravida purgetur, ſanguis è brachio amittatur ante aliquot dies.

Mulieribus gravidis, quibus iter longum faciendum eſt, ſanguinem è brachio ſemèl amittere debent, aliquot dies antequàm iter capeſſant, quò meliùs injurias quas itinerandi motus inferre poteſt, evitent.

Tuſſis violentior et frequens, mulieribus gravidis abortionem, et profluvia ſæpè adfert.

Mulier gravida, vel non gravida, hæmoptyſin, *tuſſim, ardorem ſtomachi, vel uteri fluxionem patiens, purgari non debet.*

Et coitus, et prægnatio, plurimùm mulieribus hæmoptyſi *laborantibus, nocent.*

Venæ-

Venæſectio in brachio, lac, jus tepidum, taciturnitas, inteſtina parum adſtricta coitûs abſtinentia, perquam neceſſaria ſunt mulieribns gravidis, tuſſi violentiori laborantibus; præſertìm ſi hæmoptyſi *adſit.*

Mulier abortioni obnoxia, poſt conceptionem à coitione omninò abſtinere debet.

Varices crurum mulieribus gravidis aperiri non debent.

Si mulier prægnans luê venereâ afficiatur, idoneis remediis in ſex *prioribus geſtationis menſibus impunè poteſt uti, in reliquis autem tutiùs eſt partum expectare.*

Ulcera venerea labiorum, vaginæ, à ſalivatione facilè ſanantur, ſi quæ verò ipſum uterum, ejuſvè os occupaverint, his nullâ ferè medetur arte.

Multùm periculi et matri et infanti ſecum afferunt convulſiones, eoquè majus, ſi, intermiſſis paroxyſmis animum mulier non recolligat.

Primiparæ, ſæpiùs convulſionibus afficiuntur, quam iſtæ quibus plures partus contigerunt.

Convulſiones antè partum periculoſiores ſunt, quàm poſt partum.

Mulieres convulſionibus correptæ, ante vel poſt editum mortuum et putrefactum infantem, majore diſcrimine laborant, quàm ſi vivus foret infans.

De

De Partu Naturali.

AD partum naturalem requiruntur parturiens et fœtus nullis infirmitatibus obnoxii, quæ partui obeſſe poſſent: opus eſt, ut recta ſit mulieris forma, valetudo firma; ut infanti ætas, valetudo, ſitus, ſint legitima; ut dolores *naturales* ſponte ſuâ ſuperveniant: ut os uteri denique ex lege naturæ locum obtineat. Per dolores *naturales* intelligimus, tales motus ultrò exorientes quibus ventris et inteſtinorum muſculi adſtricti, tantam depreſſionem impetumque in uterum faciunt, quaſi è corpore expellendus eſſet; atque horum dolorum impulſu aperitur uterus, fœtuſque in oſtium, et porro per illud expellitur, et hoc pacto fœmina feliciter partum edit.

APHO-

APHORISMI.

QUO juniores ſunt mulieres, modo annum ætatis decimum quintum peregerint, eò feliciùs parturiunt.

In principio doloris tactu *quærendus eſt fœtûs et uteri ſitus.*

Os uteri multò mollius utero geſtantibus ſit, quam aliàs.

Apertio oris uteri mulieris gravidæ non ſemper parturitionis eſt ſignum certùm, nonnunqùam enim orificium adeò patefactum invenitur, ut digitum inferri ſinàt menſem ante partum.

Si mulier ineuntibus puerperii doloribus, aliquot retrò dies alvum non exoneraverit, clyſtere adhibito dejectio cienda eſt, ut liberior infantis detur exitus.

Miſſio

Miſſio ſanguinis è brachio magno erit primiparis uſui, ſi modò validi ſint temperamenti, fiatqùe dum arteriarum pulſus ex doloribus augentur, reſpiratio *libera ad augendum puerperæ nixus et promovendum partum plurimùm confert.*

Infantis utriuſque ſexûs, ſecundum naturam in utero poſiti, caput eſt ſuperius, inferiores pedes, facies antrorsùm ſpectat, dum ſeptem vel octo geſtationis menſes præterierint, poſteà verò omninò inverſa eſt poſitio; ſuperiora ſcilicet pedes, caput inferiora occupat et retrosùm ſpectat facies.

Sub nonum plerùmque menſem deorſum mittitur infantis caput, nonnunquam etiàm ſub octavum.

Fieri poteſt, res ità ſe habere poſſunt, ut mulier utero gerat à ſeptem *ad* undecim *menſes.*

Infans ſe ſubvertens in poſtremo geſtationis menſe, motu inſolito, falſos *ſæpè dolores ciet, qui etiàm enixus maturè nimis afferrunt.*

Infans ſecundum natnræ legem ſe prono capite, averſâ facie, inter parturiendum offert; quævis alia poſitio mala eſt et præter naturam.

Funis umbilicalis recens nati infantis conſtringendus, et ſine morâ ſecundinæ excludenæ ſunt, digitos vel manum protinus ab excluſione infantis immittendo; nè fundum detrahas aut uterum invertas funiculum umbilicalem extrahendo.

In quolibet geſtationis intervallo, ſi aquas formatas *ſenſeris, id eſt protruſas, et infantis capiti inter dolores cumulatim præmiſſas, pro certo habeas iſtam mulierem parturire.*

Puer-

Puerperium primum, ſequentibus *ple-rumque gravius eſt, utero et infante rectè ſitis.*

Vomitus immodici et violenti ſummum dant abortionis periculum cum mulier propiùs accedat ad pariendi tempus.

Vomitus verò inter puerperæ labores, ſi ſupra modum non ſint, nunquam non proſunt.

Si quando aquæ quas parturientes egerunt primò liquidæ tenueſque deindè viſcoſæ et mucoſæ fluant, partum inſtare conjectari licet.

Humor ſensìm profluat inter dolores glutinoſus et viſcidus; ſi tandèm incipiat rubeſcere, *aut cruentus ſit, certiſſimum inſtantis partûs indicium eſt.*

An Os Pubis vel Oſſa Ilii inter parturiendum ſejungantur non conſtat, ſed Os Coccygis, cujus articulat iomobilis eſt aliquantulùm recedit.

Mulieres quæ nullum adhuc fœtum ediderunt, orificium uteri habent arctiùs et rotundius, quod amplius et inequalius eſt in iis, quæ jam pepererunt.

De Partu *Facili* et *Difficili*.

QUO grandior fœtus, eo altiùs aſcendit uterus in puerperæ ventrem; et quum cavitas pelvis ampliorem uterum, fœtu, nec ſimplici forſan, ſecundinis et aquis diſtentum non capiat, neceſſe eſt, ut ultra limites pelvis in cavum ventrem, uterus aſcendat; hic vel eundem quem ante aut ſtatim à conceptu

ceptu ſitum, vel fortè trajectus, alium quendam ſitum obtinet: ſi quem olìm *rectum* dicimus uterum et ritè poſitum, tùm enim parte ejus acuminatâ in cavam pelvem demiſsâ *fundus* umbilico obvertitur; at ſi mutatâ ſede, et inclinato utero, vel *antrorſum* vel *retrorſum* vel ad *alterutrum* latus deflectatur, *obliquum* pravumque uteri ſitum culpamus.

Fœminæ doloribus *falſis* laborantes, corripi videntur *vehementibus* deprimendi *conatibus*, qui, antequàm verò penetraverint aut depreſſionem *veram* fecerint, ſubitò *ceſſant* iſti motus, ac in *cruciatum* aut *ſpaſmum* laborandique *impotentiam* mutantur.

APHORISMI.

IN principio doloris quærendus eſt fœtûs et uteri ſitus.

Detractio ſanguinis è brachio vel pede plurimùm in moleſtioribus puerperiis prodeſt, cùm et promoveat partum, et remedio ſit, nè immodica profluvia et convulſiones partus difficili et præternaturali accedant.

E malis poſitionibus pædes minimam, brachium cum humero *maximam, nates vel manus unà cum pedibus obviæ mediocrem difficultatem ferunt.*

Pedibus ſe præſentantibus, ſitus non immutandus eſt, nì ut facies poſteriora ſpectet.

Præ-

Præſentante ſe brachio cum humero *quam primùm pedibus prehenſis extrahendus eſt fœtus.*

Si nates, vel manus unà cum pedibus obviæ ſunt pedibus prehenſis extrahendus eſt infans.

Ambos pedes ſimul detrahendi ſunt, et digitos eorum faciem versùs convertere debes.

Præſentante ſe facie vel collo, ad ſitum naturalem reducendus, ſeu pedibus prehenſis extrahendus eſt infans.

Funiculo ſolo in oſtium veniente, indicat plerumque infantem tranſverſim in utero ſitum.

Funis, ſi ſe præſentet, reducatur; fœtuſque pedibus prehenſis quam citiſſimè extrahatur: exindè tamen lividus plerùmque ſit infantis vultus.

Funis

Funis implicitus, æquovè brevior, fœtûs reſilitionem *poſt finitum dolorem efficit.*

Si fœtus imbecillis *eſt, dignoſcitur ex partu languido, ſanguinis fluxu nimio, matris viribus languidis, fœtûs pulſu in fune.*

Si fœtus mortuus *eſt, dignoſcitur ex mammis mulieris flaccidis, frequenti lypothymiâ, aquarum fœtore, frigore ventris mulieris, laterumque, et gravitate in utero, capitis infantis* mollitie, *defectu pulsûs in fune, cuticulæ corporis ſeparatione, meconii abſque cauſa expulſione, vel quod omninò certior eſt,* cuticulæ capitis ſupremæ, diſſolutione.

Si fœtus malè *ſitus eſt, dignoſcitur ex doloribus non ritè reſpondentibus, doloribus nimis lentis, aquis* furtivis, *at certiſſimè* tactu *accurato.*

Pravus

Pravus uteri ſitus *eſt* quadruplex; primus, *ſi fundus uteri diaphragmati, corpus autem, ſpinæ dorſi mulieris inclinatum, opprimitur, indè os uteri nimis ſuſpenſum ab anticâ parte, ad oſſa pubis addigitur, et infantem reddit immobilem.*

Secundus, *ſi uterus in ventroſis mulieribus pronus propendit, ore ad os ſacrum converſo.*

Tertius, *ſi fundus uteri in latere ſiniſtro paulò altius vel demiſſius ponitur, ore ad ſpinam dextram oſſis ilii converſo.*

Quartus, *quo fundus uteri in dextro latere ponitur, ore ad ſpinam ſiniſtram oſſis ilii converſo.*

Prava infantum poſitura in utero rectè *locato facit difficilem laborem, ſed* malè *locato difficiliorem.*

In

In quacunque uteri obliqua *poſitura, quamprimùm certus ſis parturientem* genuinis *laboribus laborare, infans pedibus cautè extrahendus eſt, tactu, prius dili-gentèr explorato* ſitu, *et infantis et uteri.*

Quum infantes omninò *invertendi ſunt, obſervandum eſt, faciliùs verſari et in gyrum tractari, ſcilicet,* digitis *pedum ad caput directis, quam contrà* calcaneis *ad podicem converſis.*

Infantes lentè verſandi ſunt ut extrahuntur, applicatis ambabus manibus; alterâ ſcilicèt, quouſque poteſt ſubter corpus immiſſâ, dum alterâ pedes combinatos tenet; hoc pacto infans ſensìm verſando producitur; uſque dum pronus *in ventrem ejus procumbat, et* ultra ventrem *excluſus ſit: tum demùm opportunum tempus illuxit, quo* parturienti laborandum *eſt, quippè jam caput et brachia plerumque conjunctìm trajicienda ſunt; et infans va-*

lidè,

lidè, quaſi dolores urgerent, ſed cautè trahendus eſt, deorſum *verſus inteſtinum* rectum, *aliùs infans coarctatus ægrè tranſmittitur.*

Uterus nimis propendulus *facit partum difficilem, in fœmina cujus uterus ſit depreſſus* ventre *propendulo.*

Hic, membranis abruptis, et ore uteri ſatis patulo, laborandum eſt, doloribus reſpondentibus, evaneſcentibus verò, è contra ceſſandum eſt.

Laborandum eſt etiam alterâ manu in utero locatâ, alterâ autem, externâ in ventrem mulieris poſitâ, ſed preſſura externa levis, depreſſio interna fortis et æqualis fiat, et inter deprimendum manus attrahatur.

Notandum eſt, obliquam hanccè uteri poſituram commodius admittere excluſionem

infantis prævio capite prodeuntis, *quam ubi uterus in alterutro latere, aut ad lumbos apprimitur.*

Nihilominùs, in omni poſiturâ uteri obliquâ, *putamus plerumque ſecurius, tutius, ac minus periculoſum medium non datur, quam ſi infans, abruptis membranis, abjectâ omni-cunctatione vertatur, pedibuſque extrahatur.*

In omni malo ſitu, *uteri vel infantis, et in rebus deſperatis, pedibus extrahatur fœtus, et ſemper obſervandum eſt infantem commodiùs verti, ſi digitis pedum præviis, quam ſi calce, quum infans omninò invertendus eſt.*

Si quando fœtum prehenſis pedibus educere conveniat, facies infantis deorsùm ad matris inteſtinum rectum ſemper ſpectet priuſquàm caput extrahatur.

In utero malè locato, *plurimi difficiles partus, plerùmque difficilimi ſunt, undè ſæpiùs et ipſa prava verſio infantum in utero oritur, quippè qui initio benè verſis propter pravum uteri ſitum, in, aut per pelvem penetrare non valentes, ex benè verſis, fiunt pravè verſis; id quampluri-mùm accidit maturi auxilii defectu.*

Partui difficili vix ſufficiunt mulieres, quibus, corpus ſudoribus frigidis *obrutum; vel ſyncope* frequens *cum* frigidis *ſudoribus; vel convulſiones ſine* recognitione; *et quibus vires deficiunt, vel* inferiora *abdominis* tenſa *et* inflammata *ſunt.*

Longè alitèr tractandus eſt infans in utero rectè *ſito, quàm in utero obliquato, priori, caput non omninò rectè poſitum, in oſtium dirigendum eſt, poſteriori verò, tutiùs pedibus quæſitis extrahitur; et hoc ſempèr obſervandum eſt, os uteri nunquam non adverſum fundi ſitum eſſe, undè facile*

 ju-

judicandum eſt, quo loco fundus uteri ſitus eſt, ac utrùm plus minus obliquatur.

Infans facie in oſtium uteri prodeunte reddit partum difficilem in utero benè locato; in utero malè locato difficilior multò eſt, et ſtatim pedibus infans educendus eſt; priùs tactu *diligentèr explorato ſitu et infantis et uteri.*

Ex formâ aquarum oblonguâ, in utero rectè *poſito, concludimus quod caput in oſtio non verſetur,* alitèr *in obliquo.*

Infantibus tranſversìm ſitis humores plerùmque in oblongam formam coguntur, et oſtium uteri vacuum eſt, ſive aquis ſolummodò obſeſſum.

In quacunque uteri obliqua *poſitura tutiſſimum, promptiſſimum, minuſque dolorificum cenſeam partum accelerare infantes pedibus prehenſis extrahendo, idque in principio*

cipio ſtatim laborum, ante vel paulo poſt effluvium aquarum, quamprimum certus ſis parturientem genuinis doloribus *laborare.*

Tanquàm regulam generalem *tradidimus infantum pedes non niſi* digitis ſursùm verſis *extrahendos eſſe: iſtud dictum volumus de pedibus ſupra in fundo uteri poſitis, et quum* infans omninò invertendus eſt.

Cùm latiùs pateat pelvis è regione coxendicum, quàm ab oſſe ſacro ad os pubis, ſicubì ob magnitudinem capitis difficilior fuerit partus, infantis mentum in alterutrum humerum obvertatur, ut qua parte latior ſit ex naturâ pelvis, eâ infantis caput et humeri ità dirigatur, ut faciliòr exitus detur.

Sic etiam quoties fœtus pedes *præmiſerit, conſultiùs erit primùm alterum brachium deducere,*

deducere, deindè, immiſſo digito infantis ori mentum ejus, ad humerum ſensìm deflectere ut tutò partus peragatur, ubi amplius æquò infantis ſit caput, et anguſtior puerperæ pelvis.

Si verò neceſſe ſit pelvem majorem *reddere, non licet niſi retrudendo Os Coccygis, quod integrâ manu perficiendum eſt, undè* triplex *commodum; viz. Doloribus ingruentibus manu premente Os Coccigis repellitur, indè meatûs dilatatio; manu deprimente os uteri ampliatur: manu retractâ infantem ſimùl ſensìm attrahitur. Hæc omnia verò cum prudentiâ et judicio peragenda ſunt: et,*

Obſervandum eſt, parturientes convenientèr tractando et juvando dolores concitari, et augeri; perverſis autem actionibus evaneſcere et ceſſare.

Humoribus jamdudùm effluxis, infanteque arctiùs compreſſo, quam ut poſſit manu inductâ verſari, convenit aliquando cingulum *quoddam leniſſimum alteri vel ambobis pedibus injicere, et alterâ manu detrahere, dùm alteri corpus infantis ſuperiùs ſursùm removes, hoc modo pedes in oſtium productos quamprimùm potes manu prehendito, eâque infantem omninò extrahito.*

Abſente uteri vel infantis pravo ſitu, *remedia* dolorifica, *aliquandò præſcripta ſunt, vel ſaltèm, clyſteres acres injiciantur, quorum irritatione uterus ſtimulabitur, et depleto inteſtino* recto *ampliorem locum infantis exitu relinquet.*

Cognoſcat ex his medicus, cui couſcientia curæ eſt, quod commodi aut incommodi afferunt remedia à ſe præſcripta dolorifica, *ſi ſine præviâ cognitione* ſitus *uteri et infantis exactiſſimâ, illa præſcribit rogatu obſtetricum,*

obſtetricum, quæ os uteri non poſſunt tangere, neſcientes, quo modo et loco, os uteri vel infans ſiti ſint.

Præſagire difficilem partum licet, ſi totus ante fœtum aquoſus humor effluit: aut longa, copioſa ſanguinis eruptio anteceſſit: ſi ipſa fœmina crebrò inhorreſcit, et languidiore *dolore, perque* longiora *intervalla urgetur; partus enim ſine* debito dolore *periculoſi ſunt.*

Mulieri difficultèr parienti, utero et infante rectè ſitis, ſternutatio ſuperveniens, bonum, eadem etiam in retentis ſecundinis; nàm ſi uterus non valet in hoc caſu expellere fœtum, vel ſecundinas, bonum erit, ſi ſternutatio ſuperveniat; tali etiàm in caſu conduceret ſternutatorium *admovere naribus.*

Si funis collo circumductus ſit, ſubditis digitis tentandum eſt funem laxatum ſupra caput

caput removere, ſi non licuerit removere, filo conſtringendus et diſcindendus eſt.

In partu gemino poſterior *pedibus plerùmque extrahendus eſt, ideòque membranæ quàm citiſſimè rumpendæ ſunt, niſi promptè rem agat natura.*

Si infans pedem alterum obvium ferat, animadvertendum eſt an dexter, *an* ſiniſter, *ut prius intelligatur qua ex parte ſit alter quærendus, quam educatur.*

Si binos pedes obvios habeas, dextrum *licet et* ſiniſtrum, *videſis diligenter ante perſcruteris, quam extrahere coneris, ne fortè alter, alterius ſit* gemelli.

Mammæ venterque prægnantis cui fœtus in utero mortuus eſt, non ampliùs augeſcunt, ſed quotidiè recedunt.

Uteri excretiones fœtidæ non ſempèr infantem mortuum indicant, quum à grumis ſanguinis diutiùs retenti corruptis fieri poſſint.

Si mulier quatuor dies in partu laboret, vix fieri poteſt, quin fœtus moriatur.

Infantis mortui caput è corruptione emolitum non æquè ac vivi exitum humeris in partu conciliat.

Infantis mortui difficilior et moleſtior eſt plerùmque enixus.

Mulieres quæ mortuum et corruptum infantem edunt febre *interìm continuâ laborantes, poſt partum paucis interpoſitis diebus ferè moriuntur.*

Infans in utero mortuus poſt emiſſas aquas, biduo vel triduo, majorem in modum

dum corrumpitur, quàm toto menſe manentibus aquis.

Si caput infantis in exitu hæreat, cum non ſit tumefactum, eſt cur mortuum credas.

Signum verò omnium certiſſimum fœtûs mortui eſt cuticulæ capitis ſupremæ diſſolutio, *quæ non niſi aliquamdiù poſt obitum infantis contingit.*

Infans in oſtio uteri primiparæ hærens plerùmque mas eſt, ampliora enim capita, humerique latiores maribus quam fœminis ferè contingunt.

Primiparæ ſenioris fœtus non raro hæret in oſtio uteri.

Manus altera infantis, vel ambæ ſimul, ſæpiùs quam quævis alia pars infantis,

fantis, unà cum capite *ſe offert, quotiès caput non ſolum protruditur.*

Si manus præmiſſa ſe offerat cave prehendas, quo longiùs enim manus porrigitur, eò moleſtior futurus eſt enixus.

Mulieres quorum mariti manibus et humeris amplioribus ſunt, tales ſæpenumerò infantes pariunt.

Infantes, ſi nates inter naſcendum ſunt obviæ, ex ſitu compreſſi meconium *ſempèr dejiciunt.*

Infantis capite in utero relicto conſultiùs eſt, ut naturæ ſoli committatur obſtetricium, quam ut vi adhibitâ extrahatur.

Lapſus funis umbilicalis ante partum, citam infanti mortem infert, nequè id minus efficit compreſſio funis in exitu ſe offerentis cum infantis capite.

Funis

Funis umbilicalis cum ſubitâ aquarum eruptione ſæpe ante partum dilabitur, ubi abundant aquæ et funis eſt prælongus.

Si tactu fune umbilicali dilapſo arteriarum pulſus ſentiatur, vivit adhùc infans, ſin minus mortuum crede.

Utero ad partum unius infantis patefacto, non niſi altero emiſſo aut extracto, clauditur.

Altero extracto fœtu, ſi alter adhuc in utero maneat, hunc etiam prius educere oportet, quam prioris placentam extrahas.

Ex gemellis alter poteſt in utero materno vivere, altero ante menſes aliquot mortuo.

Gemellorum altero educto, confeſtìm alterius membranæ aquam continentes diſ-

rumpendæ

rumpendæ ſunt, ut ſecundus maturetur partus patente adhuc utero.

Muliere ex fœtu multiplici gravidâ parturiente, omnes priùs educantur fœtus, quàm cujusvis ſecundinæ, nè effluxio ſanguinis immodica ſecundas præmaturè abruptas ſequatur.

In extrahendis gemellorum ſecundinis, ſive placenta ſit unica vel duplex, cum ſuus utrique ſit funis infanti, ſemper conandum eſt, ut ea placenta quæ partui priori attinet, priùs extrahatur.

Manus ſempèr imponenda eſt puerperæ ventri, vel in uterum immittenda eſt, ſtatìm poſt eductum fœtum, ut dignoſcatur an maneat adhùc alter in utero, præsèrtim ſi quem eduxeris ſit exiguus, ut gemelliparæ fœtus eſſe ſolet.

Statim à fœtûs excluſione ſine ullo puerperæ dolore aut incommodo, manum in uterum immittere licet.

Mulieres fœtum multiplicem geſtantes utero, multo gravius laborant in prægnatione, *et plerùmque quindecim dies, vel etiam tres ſeptimanas ante debitum tempus partum edunt; iis etiàm crura tumefieri ſolent, vel femorum tenus, in poſtremis menſibus, nonnunquàm etiam ipſa vaginæ labia.*

Fœtûs membranæ nunquàm inter nixus dilacerandæ ſunt, niſi adeò pateat os uteri, ut partum illicò factum iri ſperes, aut id ſuadeant profluvia, convulſiones, vel hujuſmodi res natæ.

Mulieres, quarum infantibus capita ſunt prælarga, et humeri ampliores ſolitò, gra-

graviſſimis doloribus in puerperiis afficiuntur, maxime autèm primiparæ.

Aquæ maturè nimìs profluentes, infantis magnitudo nimia, funis umbilicalis infantis collo, vel cuivis alii parti circumvolutus, facies infantis ſursùm ſpectans; hæc omnia productiùs et moleſtiùs puerperium reddunt.

In difficilibus et operoſioribus puerperiis ipſa opem fert natura, in iis verò, quæ præternaturam *accidunt, ſicubi fœtus grandior iniquam poſitionem fuerit nactus, fruſtrà nititur natura.*

In omnibus præternaturalibus puerperiis quæ ex ſola poſitione infantis malâ oriuntur, cum primùm os uteri ſatis patet, aut dilatari impunè poteſt, tùm manus cautè immittenda eſt ut opus perficiatur.

Non

Non niſi quieſcenti utero *manus intromittenda eſt.*

In pleriſque pravis *poſitionibus quibus infantes obſtetricanti ſeſe offerunt, prehenſis pedibus fœtum educere conſultiùs eſt, quam ut ad ſitum naturalem reducantur, dare operam.*

Si infantis ſitum in utero ità mutare velis ut prehenſis pedibus educatur, videſis manum membranis fœtum involventibus *inferas, ut uterus, his interpoſitis, nihil detrimenti ex operatione, capiat.*

Mulierum ſæpè exiguitas pravam infantis poſitionem efficit, cum non ſatìs loci habeat ut ſe in utero vertat.

Mulieres quibus grandiores ſunt infantes, ineunte *puerperio,* remiſſiores *dolores experiuntur, quoniam fœtus grandior non*

ſine difficultate deſcendit, ut exitum occupet.

Deformes, gibboſæque mulierculæ gravioribus puerperii doloribus laborant.

Affectus ſoporoſi et convulſiones partui difficili ſupervenientes ut plurimùm ſunt lethales.

Violentis doloribus ſubitò deficientibus, ſi ſuperveniat vomitus *metuendum ne laceretur uterus.*

Viribus de repente deficientibus, lethalis extravaſio eſt metuenda.

Si prægnans, multo tempore cohibeatur, et parere non poſſit, ſed diebus pluribus ex partu dolore laboret, ſit autèm juvenis et invigore et multo ſanguine referta; ſecare oportet venas in malleolas, *ſanguinem detrahere, virium reſpectu habito.*

Si qua in pudendo muliebri ex partu difficili mortificatio fiat, plurimùm periculi eſt nè corrupto veſicæ collo ibi tandem fiſtula enaſcatur.

Si ob fiſtulam poſt difficilem partum, urinam mulier præter voluntatem temerè dimittat, idque tres *totos menſes fiat, remedium ferè fruſtrà ſperabit.*

Fœminæ doloribus falſis *laborantes, corripi videntur vehementibus deprimendi conatibus, antequàm verò penetraverint, aut depreſſionem veram fecerint, ceſſant iſti motus, ac in cruciatum aut* ſpaſmum *laborandique, impotentiam mutantur.*

In his doloribus falſis, *medicamenta* propellentia *minimè utenda ſunt, ſed lenientia et* anodyna *quamprimùm adhibenda ſunt.*

Infantes aſcite *ac* hydrocephalo *affecti, in utero matris plerumque moriuntur, ſin*

 minùs,

minùs, citò poſt partum, quod quidem de monſtris *affirmari poteſt.*

Si infans cujus humeri ſunt anguſti prolato capite *etiamnùm in oſtio hæreat,* monſtroſum *eſſe, vel* hydropicum *exiſtimare licet.*

Infans hydropicus multò faciliùs quam monſtroſus, utpotè qui, miſſis aqui ſimplici juncturâ extenuari poſſit, quo minus præ tumore hæreat.

Inſtrumentis nè quidem ad extrahendum mortuum *infantem uti oportet, ſi à manibus poteſt fieri.*

Inſtrumenta quibus infantes monſtroſi ſeu mortui extrahuntur lævia per totam longitudinem eſſe debent, ne qua aſperitas uterum, vulnerare poſſit.

Curâ opus eſt maximâ, nè credideris mortuum, vivus *infans ferramentis mulctetur.*

Cùm ſectio cæſarea mortem parenti certiſſima eſſet illatura, nunquàm, niſi extemplò poſt defunctam vitâ matrem adhibenda eſt: ergò cautè diſtinguendum eſt, inter uterinam *et* ventralem *graviditatem; et etiam inter* ventrales ipſas.

A fœtu in tuba fallopiana *conceptu, et ad perfectionem uſque ejuſdem accretione, præter alias rationes, erudimur, fœtum non in utero ex mixtura utriuſque ſexûs genituræ oriri: verùm jam in ovario principium ſumere, ibidemque à genituræ virilis parte maximè volatili imprægnari, et ſubindè varias ob cauſas vel in hoc, vel in alio loco remoram pati, ut in uterum pervenire nequeat, ſed nunc ex ovario ſe extricare non poſſit; modò in cavum abdominis decidat, undè* conceptiones ventrales

les *nominantur*; *alia vice tubæ fallopianæ anguſtias ſuperare haùd valeat*; *verùm ibidèm parti cuidam accreſcat, nutrimentum capiat*; *at ſua plerùmque et matris morte: quemadmòdum hyſtoriæ quamplurimæ hujus generæ ex variis ſcriptoribus colligendæ ſunt.*

Graviditas vitioſa uteri, quâ per diſciſſam uteri fundum *aut* cervicem, *aut* ſuperiorem vaginam, *interior ſit partus, matri ſemper eſt mortifera.*

Graviditas in interna cavite tubarum, ſemper lethalis eſt, ſi tuba abrumpatur.

Ovariorum graviditas interior, matri ſemper lethalis eſt: non ità tamen exterior *in his graviditas.*

Partus cæſareus externus, *ſolus* licitus *eſt.*

Hæ

Hæ ventrales *graviditates ſunt propriè* ſuperiores *vel* inferiores, *ab ovô impregnatô internali aliquâ parte ventris adhæreſcente.*

In graviditates ventrales, *aliquandò ſectio cæſarea tutò perficitur, præſertim ſi ſit graviditas* exterior *et in parte ſuperiori ventris.*

Si infantes in partu uteri ob monſtroſam *magnitudinem totius corporis, aut partis alicujus, pelvem, portione ſuâ nimis parvam, integri tranſire prorsùs non valeant. Aut, ſi propter negligentiam vel inſcitiam obſtetricis, in utero quam maximè* obliquato, *infantis rectè verſi* caput in anguſtiam cavitatem pelvis delapſum, *inibique* ſimùl cum humeris *adeò* coarctatum *ſit, ut ad impetum dolorum validiſſimum nè minima quidem percipiatur deſcentio.*

In

In hoc ſtatu rerum, quibuſcunque remediis fruſtrà tentatis, ut ſaluti matris conſulatur, infantem illum tanquam mortuum *oportet tractari et extrahi.*

In hydrocephalo *autem, aut* aſcite *infantis commodè aperitur, puncturâ factâ cum inſtrumento dicto,* terebra occulta.

Si infans capite prævio *nimis in exitu conſtringitur, et caput ejus* ſatis protruſum *fuerit, tùm, infantem ſine leſione, cum* forcipe minimâ, *extrahere poteſt.*

Hinc videmus nonnunquàm quidèm in obſtitricio *inſtrumenti opus eſſe; id autem rariſſimè contingere, experientia pluſquam triginta annorum, quibus latè et feliciter huic rei operam dedimus, affirmare non dubitamus: nam per totum illud tempus, ni fortè me fallit memoria,* ter *tantùm inſtrumentorum uſum res poſtulabat. Atque eſt quidèm cùr magnoperè metuamus nè plurimùm*

rimùm ſæpè noceat temerarius, *eorum uſus: ideoque moneamus ut quantum fieri poteſt, ſedulò vitetur.*

Si quando non poſſit, fieri ut mater, ſimùl et proles ſalva ſit, matris vita ſemper infantili anteponenda eſt.

Quum medicus vel rei obſtetriciæ peritus ut parturienti opem ferat, accerſitus fuerit, imprimis *tactu* quàm accuratiſſimè exploret, qualis reverà ſit oris uteri poſitio: nùm mediâ pelve, nùm anteriore parte juxta os pubis, nùm poſteriore juxta vertebras ſive os ſacrum; utrùm dextrorſum an ſiniſtrorſum vergat: ſimùl quantum pateat os uteri, et quæ pars infantis ſit obvia.

Si verticem infantis ſolùm obvium habeas, atque uteri os vel pelvi immineat vel in ipſa pelve ſit ſitum, dum intereà membranæ cum aquis, ingru-

entibus doloribus protruduntur, nullo opus eſt auxilio; et, niſi ceſſantibus aut langueſcentibus admodùm doloribus, non eſt in hoc rerum ſtatu provocandus partus; nequaquàm laceſſenda puerpera; ſpontanei dolores enixus tutò expectantur, ubi omnia verum et ex natura legibus partum pollicentur.

Quòd ſi os uteri altiùs ſuſpendatur, aut prælargum infantis caput; aut nimis anguſtam pelvem eſſe indicat: contrà, ſi inferius demittatur aut exiguum caput, aut ampliorem pelvem arguit; hìc promptior futurus eſt partus, iſtìc tardior: iſtìc patientiâ ſolâ opus eſt, neque enim ciendi ſunt dolores: ſed hìc, os uteri urgentibus doloribus digitis obſtetricantis uſque ſuſtentandum.

Si, quùm os uteri rectà in pelvem vergat, nec caput nec nates, nec quicquam [illegible] membranam quâ complectuntur

plectuntur aquæ eamque *oblongam* in exitu deprehendatur, difficilem crede portendi partum, tranſverſum enim infantem habes; quo circà ſtatim poſt obortas aquas, quærendum eſt caput, et in exitum addūcendum, modo commodè poſſit fieri, ſin minùs, pedibus extrahendus erit infans. Nonnunquàm etiam omninò poſtulabit res, ut, ruptis de induſtria membranis, præſertìm ubi tenuiores ſolito membranæ, et molle ſit et dilatabile os uteri, querantur pedes.

Quotiès in mediam pelvem uteri os non promineat, ſed in anteriorem partem ad os pubis, vel in poſteriorem os ſacrum versùs nimis deflectitur, vel ad alterum latus et coxendicem ſe inclinat, indè erit tantùm diſcriminis, quanta declinatio: et hìc celeri ſolertique ope puerperæ ſuccurrendum eſt, ita deducendo os uteri, ut quam maximè exitum ſpectet; tum infantis querendi pedes, ut partus abſolvatur: nam quo-

tieſcunque os uteri aut altiùs fuerit poſitum, aut cuilibet pelvis oſſi arctè nimis admotum, nequaquàm permittendus eſt naturæ partus.

Utero ſive rectè, ſive perperàm poſito, ſi ruptus membranis artus quilibet *pes* putà, *manus*, *&c.* excludatur, infans ſtatìm pedibus extrahendus eſt.

Si altiòr etiamnùm uteri ſitus ſit, ruptis nondùm membranis, et increbreſcant continuò dolores, ſummâ curâ *ſuffulciendus* eſt uterus manu, vel digitis, nè in anguſtias pelvis, inter os ſacrum et coccigis, ipſe uterus ſimùl infanſque detrudatur.

Si altiùs poſito infante, nihil profeciſſe videntur acerrimi dolores: ſi in obliquum os uteri vergat et quolibet pelvis oſſe conſtringatur; vel ſi durum ſit nec ſatis apertum, et accedant profluvia et convulſiones, ſi debilis ſit puerpera, nec inter dolores ſatis valida, rectè poſitis et utero et infante, ad promovendum

movendum partum: ſi defluxerint aquæ, nec mox ſequatur fœtus: ſi qua parte diſtorta ſit puerpera; ſi quo totius corporis, vaginæ, uteri, vel inteſtinorum morbo laboret, maximâ opus erit curâ et judicio; et ſine morâ pedibus protrahendus infans.

Si ſecundinæ non ſtatim poſt excluſum fœtum ſequantur, aut utero adhærent, aut os uteri nimis clauſum obſtat: hìc quoque prudenti opus erit concilio manuque peritiſſimâ, nè quid graviùs accidat ab inconſultâ ſecundinarum direptione.

De Puerperis earumque Morbis.

SI qui puerperio morbi ſupervenerint, in omnibus *lochiorum* ratio præcipuè habenda eſt, ut legitima ſint: et *ſymptomata* in omnibus morbis puerperarum non curanda ſunt, ac ſi eſſent morbi *ſui generis*, ſed, radice mali exciſâ cuncta eradicantur ſpontè ſymptomata: ergò, ut rectè ſe habeant *lochia*, prima ſit cura.

APHORISMI.

PUERPERÆ convulſionibus ante vel citò poſt partum correptæ, nocent emetica, ſanguinis autem miſſio utrinque maxime convenit, niſi à profluvio ſanguinis convulſio oriatur.

Color

Color ſæpè et ſubſtantia placentæ, non vana dant indicia valetudinis puerperæ.

Placentæ craſſiores, duræ præſertìm et ſchirroſæ *multo majore negotio, quam tenuiores et molliores extrahuntur.*

Sanguis uterinus qui excontinenti partum ſequitur, vermilium colore refert, et brevi grumeſcit, reliquo corporis ſanguini nequaquàm abſimilis.

Perperàm agunt illi qui aliquamdiù poſt partum mulierem dormire vetant, nihil enim ſomno, quem ipſa natura ſuadet, præſentiùs eſt ad reficiendas vires, et ad deleniendas perturbationes puerperii doloribus concitatas.

Placentâ in utero relictâ poſt prænaturè abjectum partum, ſi non ſatis pateat os uteri ut manu ſine injuria extrahatur,

minùs

minùs periculi futurum eſt ſi naturæ committatur expulſio.

Placenta ſæpè, non tam ex adhæſione ad uterum, quam ex ore uteri contracto ægrè extrahitur.

Multò tutius eſt placentam manu *cautè educere, quam catharticis et diureticis, medicamentis expellere.*

Ubi placentæ pars reliqua utero adhæreat ter quatervè ſingulis diebus injiciantur medicamenta emollientia.

Si quicquam poſt partum remanet, ejiciendum, vel alio quovis tempore ineſt, quod uterus expellere conetur, orificium ejus tum inferiùs prolabitur, tum etiam molle et laxum reperitur; ſin autem illud poſt partum ſursùm retractum et duriuſculum inveniatur ſalubritatis *hoc eſt indicium.*

Ubi

Ubi mulier à partu haud commodè purgata eſt, venter, et interdum crura tument: dolor atque rigor lumbos atque imum ventrem occupat: ſitque interdùm animi defectio. Quod ex partu febris etiàm cum ingenti continuoque dolore capitis infeſtat, ſcire licet in magno rem metu eſſe.

Pudenda mulierum nullis aſtringentibus lavanda ſunt, intra quindecim *continuos poſt partum dies.*

Tumores alterum uteri latus juxta inguen, aliquando poſt puerperium dolore afficientes, ægrè nec ſine prolixâ curatione ſanantur; qui ſi fortè ſuppurati eruperint mulieris vita periclitatur.

Ventres mulierum à partu, dum lochia *defluunt, leniter admodum faſciari debent.*

Is erit lochiorum modus qui infantis, utcunque fuerit, ſive ſuo tempore, ſive præmaturè editus, ſive mas, ſive fœmina.

Mulieres ſecundis doloribus à primo partu minùs quam à futuris ſunt obnoxiæ.

Secundi dolores quos mulieres patiuntur, è grumis ſanguinis in utero coagulatis, et poſt partum retentis plerumquè oriuntur.

Menſtruis, ſive lochiis, abundantibus morbi eveniunt, et ſubſiſtentibus accidunt ab utero morbi.

Si non purgetur mulier à purgationibus partûs, morbus magnus ipſam corripiet, et periculum vitæ incurret, niſi citò curetur.

Suppreſſio lochiorum quæ partum ſequi debent, plus habet incommodi, quam menſium intermiſſio.

Lochiis

Lochiis derepentè et omnino ſuppreſſis in primis à partu diebus, maximè periclitantur fœminæ niſi quamprimùm aliquòd remedium adhibeatur, humores enim in vaſculis repreſſi, inflammationem uteri, aliaque multa mala inferunt.

Si ſuppreſſis lochiis inflammetur uterus, è brachio, potiùs quam è pede, mittatur ſanguis.

Animi angores, mulieribus nunquam magis quam in puerperio obſunt, tum enim impedimento ſunt, quo minùs effluant lochia.

Mulieres quæ prægrandes infantes enixæ ſunt, ſæpe continuò poſt partum, profluvio ſanguinis laborant, quià placentæ grandiores, ad grandiores attinent infantes, quorum vaſa perindè atque uteri vaſa, perampla ſunt.

Mulieres quæ poſt partum immodica profluvia ſolent pati, ſanguinem è brachio amittere, bis tervè inter utero geſtandum, ſemèl etiam partu appropinquante, debent.

Mulieres quæ in puerperio immodica paſſæ ſunt profluvia, maximos capitis dolores, et febriculoſitatem, complures dies experiuntur, diù manent in vultu pallor, crura etiam non raró tumefacta ſunt.

Coeuntes citò nimium à partu, mulieres ſibi lochiorum tempus malè *producunt, uteri continuatâ fluxione, ex irritatione partium.*

Mulieres quibus in puerperio immodica profluvia contigêre, à coitu per tres totos menſes abſtinere debent, primiſque poſt partum menſtruis in lecto, quam maximè quieſcere.

Errant

Errant ſane qui lac mammarum per uterum puerperarum dimitti credunt, cum nullum ſit vaſculum qui deduci queat.

Nequaquàm neceſſe eſt ut mammarum lac ad uterum deferatur et indè in lochia *abeat : cum illud tantùm requiratur, ut quod humoris redundat, mammis non priùs admotum, ad uterum tranſeat ; natura enim ita fert, nè humor locis pluribus* ſimùl *erumpere ſoleat.*

Aſtringentia quibus utuntur puerperæ ſtudentes mammarum formam conſervare, cum lac infanti præbere nolunt, ibi tumores ſæpè moleſtas et apoſtemata, præcluſis humorum meatibus pariunt.

Cum primùm mammarum apoſtemata fuerint maturata ſatis, detur exitus humoribus, nè diutiùs æquo retenti aceſcant,

atque

atque ipſas glandes, et lactis vaſcula corrodant.

Tumores ſchirroſi mammarum, lateri arctiùs adhærentes, in cancros plerumque tranſeunt.

Febris lactis *circa* tertium *aut* quartum *puerperii diem accidere ſolet, cum lac in mammis copioſiùs generari incipit, et inter triduum vel quatriduum, nempè circa nonum diem plerumque* ſudore *ſolvitur; ſi verò* diaphoreſis *impeditur à frigore incautè admiſſo, illa febris, quæ per ſe ſalutaris erat, et paucis in diebus ceſſatura, in* putridam *periculoſam mutatur.*

Febres putridæ *puerperis ſupervenientes à lochiorum ſuppreſſione, aut imminutione, pravorum humorum congerie geſtationis tempore cumulatâ, ac in partu agitatâ, aut à frigore ſuſcepto, et diætæ erroribus.*

Venæſectio in puerperarum morbis haud facile, nec niſi urgente ſummâ neceſſitate, adhiberi poteſt.

In morbis puerperarum acutis *ſanguinem detrahes, ſi* vehemens *fuerit, et quæ ægrotant ætate* florenti *fuerit, et virium robore valuerint.*

Quotieſcunque autem res in dubio *ſit*; *vis* contractiva *vaſculorum,* digito *ægrotantis venæ admoto ſemper* ante *miſſum ſanguinem ſedulò tentanda eſt*; *iterumque etiam effluente ſanguine.*

Hæ quibus inflammatur uterus, febre *calent, ægrè reſpirant, nec urinam reddunt, nec exonerant alvum impunè, ventris tenſionem et calorem ſentiunt, et in alterutrum latus decumbentibus dolores acrius intenduntur.*

In-

Inflammato *utero laboranti ſæpiùs detrahatur ſanguis, fomenta, et enemata emollientia adhibeantur, quæ leniant et refrigerent ſæpiùs injiciantur; cibus denique ſit lenis et moderata victûs ratio; his enim ſolis remediis huic morbo ſuccurritur.*

Inflammatio uteri multum habet periculi, tùm autem maximè cum mulieri in primis à difficili partu diebus accidit.

Inflammato utero adeò coarctatur os tincæ, ut, ſi quid alieni inhæreat, nec expelli nec extrahi poſſit.

Inflammato utero, cathartica nunquam non nocent.

Si febris excitetur ex lochiorum ſuppreſſione venæſectio imprimis in brachio, dein fortaſſe in pede celebranda eſt.

Sin-

Singultus, vomitus, convulſio, delirium, venter ſupra modum diſtentus, puerperæ, cui inflammatur uterus, repentinam mortem portendunt.

Dum lochia naturalitèr profluunt, nunquam purgatio adminiſtranda eſt; periculum enìm eſt, nè ab opere ſuo natura divertatur.

Quò longiùs puerpera diſtat à die partûs, eò tutiùs purgatio adminiſtranda ſit; et contra. Nàm experientia docuit, mulieres lochiorum ſuppreſſione laborantes, ſi poſt ſeptimum aut nonum diem alvi fluxu corripiantur, ad plurimùm liberari: ſi verò primis diebus, ſcilicet, ſecundo, tertio vel quarto diarrhœa acciderit, ut plurimùm interire.

Si qui puerperio morbi ſupervenerint, in his omnibus adhibita veſicatoria intra

tres primos *dies periculum ſemper, ſæpè mortem afferunt.*

Evacuatio menſtrualis prima, *menſes aliquot poſt partum abundantior plerumquè fieri ſolet, nullo tamen periculo.*

De Uteri Descensu.

DESCENSUS uteri, ex puerperio difficili frequentiùs fiunt.

Uteri deſcenſus appellatur cùm in infernas partes is prolabitur; percipit obſtetrix hunc pudendo obvium: laborans verò ſi ſtet erecta gravitatis pondus in pudendum incumbere. Sin vero ſedeat, vel ſupina jaceat, vel alvum exoneret, quaſi inteſtinum rectum premi; ſin prona jaceat, urinæ difficultatem ſentit, ut etiam viri congreſſum pertimeſcat.

Prolapſus uteri gravior eſt, et foràs procidat.

Vaginæ et uteri deſcenſus, aut prolapſus ex relaxatione plerumquè ligamentorum rotundorum *oritur.*

Quando uteri non demiſſo ſunt oſculo, neque muliebris pudendi labra attingentes foràs emoti fuerint, leviſſimus eſt morbus.

Quando uteri *prociderint et* foràs *prodierint, et inflammatio pudenda præcipuè et ſedem occupat, urina paulatim mordet; hæc contingunt ſi recens à partu cum viro concubuerit.*

Uterus ita totaliter inverſus ut reduci nequeat, ſi eo ipſo quo contingit die, mulierem non interimat, nunquam non mortem ob continuam ſanguinis fluxionem, tandem adfert.

Mulier, cui deſcenſus uteri eſt, nullâ ventris ligaturâ uti, nullum onus gravius geſtare aut tollere debet; ſi autem deſcenſus ſit diutinus, peſſarium adhibeat.

Deſcenſus uteri, omnibus temporibus, quibuſcunque mulieribus, et nonnunquam etiam virginibus poteſt accidere; ſed ut funditùs *invertatur uterus, non niſi èx continenti poſt partum accidit.*

Mulieres ante prægnationem uteri deſcenſum paſſæ, inter parturiendum incedere vel aſſurgere non debent, iiſque lecto incumbentibus, facilior et tutior ſit partus.

De

De Schyrro et Cancere Uteri.

QUÆCUNQUE cauſa condenſat, coagulat et exciccat glandularum humores, eadem parit ſchirrum: nulla non ſchirrum generat, aliæ tamen glandulæ aliis procliviores ad humorum coagulum. Siquandò cujuſvis glandulæ humores addenſati adeò lenteſcant, ut excerni nequeant, tum *folliculi* et vaſculorum latera, quibus conſtat glandula, diſtenduntur; hinc durus indolenſque tumor exoritur, quam *ſchirrus* nominamus. Atque hæc poſtquàm inveteraverit obſtructio, diſtenſio tandèm dolorem ciet, et ſchirri oræ malignè rubent; tum demùm, quià tumor iſte cancrorum chelas ſimilitudine quâdam refert, *cancri nomen* habet: ità ſchirri inveterata malignitas fit cancer: qui quidem dùm membranis continetur *occultus* dicitur,

ruptis

ruptis autem lymphaticis, *manifeſtus* cancer.

Cauſa igitùr remota cancri ea eſſe videtur quæcunque ſchirrum gignit; immediata autem, ut loquuntur cauſa, ſchirrus ipſe inveteratus, et *ruptis lymphaticis* exacerbatus: eſt itaque cancer ſchyrrus cujus ſymptomata morâ evaſerunt graviſſima. Utriuſque ſedes eadem, eadem cauſa, tumor ſcilicet cum cyſti ſuâ, qui, ſi quomodo fuerit irritatus, adeò augetur, ut rumpantur lymphatica, et cuncta glandulæ vaſcula vehementèr extendantur; atque horum quidem folliculi *fungum* pariunt, unde magna illa vis aquoſæ et cruentæ tabis, quam emittunt cancri: hi autem qui *occulti* ſunt, citò fiunt *manifeſti*, dum inter curandum *ſtimulantibus* catharticis laceſſuntur. Cùr verò cancrorum verè manifeſtorum *rara* adeò abſoluta ſanatio contigit, in cauſa eſt; vel quod *œconomiæ animalis* peritiam, quatenùs præſertìm

ſertìm circa *ſecretiones* verſatur plenè aſſequi nondùm potuerimus, vel quod cancer *verus* et *manifeſtus* ſuâpte naturâ ſit prorsùs *inſanabilis:* hiſtoriâ enim morbi alicujus accuratè cognitâ, ſi recta medendi ratio indè non eliceatur, neceſſe eſt, aut *oeconomiam animalem* ignorari, aut eam eſſe morbi *indolem*, ut omninò ſanari nequeat. Ergò, cum cancer plerumqùe ex glandulæ alicujus exiguo tumore oriatur, ut omnibus illis formidoloſis ſymptomatis, quæ incrementum ejus ſequuntur, occurratur, *radix illa* peſtis quam maturrimè extirpanda eſt, namque ità demùm, occluſo fonte, mala hæc, quæ ex cancris manifeſtis profluunt, evitari poterunt.

Localis licet primò ſit cancer, interjecto tamen tempore fieri poteſt ut indè ſanguinis totus undique amnis corrumpatur; et ſi quid in ſanguine vitii priùs extiterit, hoc quoque *cancro* irritamento eſſe poteſt; quarè ea medicamenta quæ intùs

intùs aſſumpta, vitia ſanguinis corrigunt, hìc plurimùm valebunt.

APHORISMI.

QUOTIES fungus *tumorque cum* cyſti ſuâ, *vel* radix cancri, *poterit penitùs extirpari, non ampliùs irrita erit curatio, et ſanguini quicquid vitii accreſſerit, huic facilè medebitur.*

Ex plethorâ vaſculorum totius mammæ haùd ſecùs quam ex aliquâ glandulâ, nonnunquàm oriri poſſunt cancri.

Et, ſi continuo dolore intima mammarum ſtimulantur, eſt cur cancrum *ibi naſcentem magnoperè metuas.*

Schyrrus in utero malum eſt pertinaciſſimum, et plura ſæpè ſecum affert quæ morte demùm deſinunt, quià præ tumore, ſuper-

ſupervacuis humoribus liber exitus non datur.

Cathartica efficaciora, ſi uterus ſchirro afficitur, nocent.

Schirrus in utero, in carcinoma immedicabile, ſæpè tranſit.

Schirrus in utero mulierem ſterilem *et* valetudinariam, *per totum vitæ reliquum tempus reddit.*

Ulcera malâ corporis temperie orta quæ ipſum uterum, vel ejus orificium afficiunt, in cancros *immedicabiles nunquàm non tranſeunt.*

Cancer uterinus, *poſt annos aliquot extremos inter angores et cruciatus protractos, quamcunque affecerit, miſerè tandèm perdit.*

Cancer ultrò ruptus ferè inſanabilis.

Mulieres circitèr annum ætatis quadrageſimum vel quadrageſimum octavum, cancris *magìs ſunt obnoxiæ, quàm anteà, tùm enìm menſtrua aut omninò ceſſant, aut juſtis intervallis non fluunt.*

Carcinomata vel præcedunt, vel ſequuntur profluvia ſanguinis quæ ſi mulieri ſexagenariæ, *quam menſtrua jamdudùm deſeruere, contigerint, mortem tandèm inferunt.*

Excretiones ſanguinolentæ uteri in muliere ſexagenariâ, menſtruales non ſunt, ſed excretiones potiùs ſymptomaticæ, et ſæpè cancrum mortemque imminere indicant.

Plures fœminæ inter annum ætatis quadrageſimum quintum et quinquageſimum, quam in quovis alio vitæ ſtadio, moriuntur.

Mulieres

Mulieres coitûs expertes, rariſſimè cancris *uterinis afficiuntur.*

In curandis cancris, morbiſque etiàm aliis, febriculæ ratio eſt habenda, quæ hujuſmodi morborum comes eſt non infrequens: digna eſt autem obſervatio quæ imprimis memoriæ mandetur, febres omnigenas *ſe morbo cuilibet ſæpè adjungere, eamque medendi rationem eludere, quæ, ubi febris non adfuerit, felicitèr plerumquè proceſſêre: hìc ergo, qui neglexerit febrem ægrotanti parùm profuturus eſt.*

Cùm per *hos aphoriſmos* medicis potiſſimùm junioribus, gravibus ferè et prudentibus viris literiſque imbutis, concilium dare velimus, id ſuadente ſimùl ipsâ, quam tractamus, materiâ, viſum eſt *latinè* conſcriptos publici juris facere; nè ea *lucina ſacra,* quæ ut quodammodò retegeremus ipſa operis lex jubebat, aut *libidinoſi* ad laſciviam trahe-

rent, aut *verecundi* in pudoris læſi crimen: et cum ſolis rei medicæ ſtudioſis in *his arcanis* facem præferamus, ut, ſi quid graviùs aliquandò in *puerperiis* inciderit opem poſſint ſolertem offerre, ſperare libet, nos quoque offenſionis citrà periculum, utilitati publicæ nonnihìl conſuliſſe.

Morbos dignoſcendi methodus certiſſima undè curationes efficaciſſimæ colliguntur.

MEDICINAM ibi debere initium capere, ubi *philoſophia naturalis* finem habet, omnes uno ore, conſentiunt; neque enim dubitari poteſt quin medicum in *phyſicis* ſolertem eſſe omninò oporteat: *oeconomia* autem animalis, quam vocant, nempè lex illa naturæ quâ variæ fiunt animantium *ſecretiones*, pars eſt ea *philoſophiæ* hujus

hujus, quæ ad artem medicam promovendam plurimùm ſemper contulit. Hanc igitur ut aſſequatur, nullus non ſtudioſus rei medicæ diligenter operam dabit: namque is demum vere medicus eſt, qui quæcunque poſſint quoquo modo contingere, quantum fieri poteſt, cautus animadvertit; nè uni dum medetur morbo graviorem excitet, vitamque pœnitendam potius quam exoptandam ægro conciliet.

Neminem autem latet humanum corpus contemplari licere tanquam machinam abſolutiſſimam, cujus partes aptiſſimè conſociantur, cujus ſymmetria formam exhibet pulcherrimam, et cujus ea eſt admiranda compages ut reciproco *fluidorum* et *ſolidorum* niſu et momento, multiplici officio fungatur. Atque ut plurimos motus effectuſque ex hac ipsâ ſtructurâ neceſſariò oriri demonſtrari poteſt, ita morbos omnes eorumque ſymptomata ex perturbatis hujus machinæ

næ exquiſitiſſimæ rationibus naſci haud difficile erit evincere : nec obſtabit quicquam quod incolam habeat animum nullis *materiæ* vel *motûs* legibus obſtrictum. Omnes igitur oportet, qui ſeſe ſtudent medicæ artis peritos præſtare, perſpectam penitùs habere hanc *machinam*; ut, cum intelligant quibus conſtet partibus, quibus modis quæque partes naturaliter agant, et quas *ſecretiones* parent, ſiquando quæ illegitima, perturbato naturæ ordine, fiant, qualia ſint illicò poſſint dignoſcere : omnia enìm morborum ſymptomata ex violatis *oeconomiæ animalis* legibus nunquam non manant. Nam, quum omnia per humores ex ſanguine *ſecretos* fiant, *ſecretionibus* parum intellectis, morborum naturam deprehendere nemo poterit : ex hâc nempè fonte cætera vitæ animalis munia derivantur. Quare ut peritiſſimus eſt quiſque animalis *oeconomiæ*, præſertìm *ſecretionum*, ita facillimè morbi

morbi cujuſvis *ſedem*, *indolemque* eſt deprehenſurus, et proinde vitia, quæcunque inciderint, promptiſſimè correcturus.

Utrique ferè valetudini *ſedem* præbent ſpiritus et ſanguis: nam quod ad corporis partes attinet, quæ robori et motui inſerviunt, has quidem chirurgorum ars jure ſibi vindicat: at humores, ſpiritus, ſanguis, arces illæ vitæ, quos infeſtiores ſubinde morbi occupant, et *ſecretiones* inde natæ, non niſi medicorum ſolerti operæ rectè permittuntur. Verum enimvero, *ſecretiones illas* nondum, nè peritiſſimi, quidem, ita intellexerunt, ut nihil iſtic deſideretur: atque adeo donec exoptatum illud tandem contigerit, uno certe, nec levi et in ipſis *principiis*, defectu laborabit ars medica.

Experientia ſine dubio plurimùm valet, imò perquam neceſſaria eſt ad artem medicam promovendam, præſertìm ſi

oeco-

oeconomiæ animalis peritia regatur: quoniam naturæ phænomina ita demùm perſpicimus, ſi ea, quæ experiendo colligimus, ritè interpretamur: atque ita demùm fit medicus, ſi Experientiæ, ſivè Hiſtoriæ morborum notitiæ, oeconomiæ animalis ſcientiam addiderit. Et ſiquando, morbi cujuſlibet hiſtoriâ penitus cognitâ, recta inde curandi ratio, non conſequatur, *oeconomiam animalem* et maximè *ſecretiones* parum intelligi, ſuſpicari ſaltem licet: nam talis erit in curandis morbis, quorum hiſtoriæ innotuerunt, (excepto quod *caſus* tulerit, neque id incaſsùm, adſit modo perſpicax diligentia) ſucceſſus, qualis oeconomiæ animalis peritia: quia, ut morbi *ſedem* et *naturam* inveſtigemus, et ex illis methodum curandi probam, *ratiocinatione* omninò opus eſt ex ipſis hiſtoriis concinnatâ, quam rectè inire non poſſumus, niſi prius *ſtructuram* et

indolem illius machinæ, quam corrigere conamur, probè intellexerimus.

Deſcriptiones et *diagnoſtica* morborum ex obſervatione et experientia hauriuntur: *indices* autem curationis de iis rebus, quæ experientia docuit, *argumentando* conſequimur: *diagnoſtica* enim propriè certorum ſunt ſymptomatum congeries, *indices* autem indè diſquirendo colliguntur, habitâ oeconomiæ animalis ratione: hiſtoriæ adeò morborum et prudentia oeconomiæ animalis ſemper ſunt conſociandæ, ut debitam artis medicæ peritiam aſſequamur. Qui igitur philoſophiâ ſatis imbutus, et oeconomiæ animalis peritus, eâ, quam adeptus eſt ſcientiam, rectè utitur, accurate ſcilicet ratiocinando, de iis tantum rebus, quas *fida obſervatio*, et *impigra* nec ſimplex experientia docuit; is demùm verè philoſophari meritò dicatur; atque huic ſoli ſperare licet ſe non fruſtra quæſiturum veros curationis *in-*

dices, ex quibus ferè medicina tota pendet: his autem rationibus neglectis, fruſtrà diſputamus et argumentamur.

Magnus ille *Hippocrates* affirmat, *naturam ipſam morbos curare*; atque id adeo veriſſimum eſſe, vel hodie licet experiri, modo conſilia illius optima, et medendi rationem ſervare et veſtigiis perſequi velimus; quippe qui id ſemper ſedulò agebat, ut eam laboranti naturæ opem afferret, quam ipſam ſibi ſuis viribus moliri animadverteret: et hujuſmodi ſane diligentiâ indefeſsâ, cui mirum ingenii acumen acceſſerat, eam, quam hodiè ſuſpicimus, artis medicæ peritiam conſecutus eſt: hinc didicit, *naturam ipſam eſſe morborum judicem*, et idoneas adjutores nactam ſe vindicem præſtare; imò nonnunquam nullis nè minimis quidem accerſitis auxiliis.

Idem ille *Hippocrates* docet, id quod noſtra quoque comprobat experientia, eos omnes, qui *febre* laborant, et nec medici

medici conſilia, nec medicamenta adhibent, revaleſcere, ſi fortè revaleſcant, vel *ſudore*, vel *hæmorrhagiâ*, vel *diabete* febre tranſmiſsâ. Hinc *Hippocrates* et antiqui medici primum arripuêre ſibi conſilium, ſudorem, cæteraſque purgationes elicere et ciere: et ex iis, quæ ſæpenumerò et feliciter erant experti, medendi rationem optimè concinnatam poſteris tradiderunt. Quod ſi variam naturæ, alienâ ope deſtitutæ ſolertiam in excutiendis morbis diligenter perpendamus, non eſſe tumultuarios et incompoſitos malè ſe tuentis impetus; ſed reverà æquabiles, et bene moderatos niſus vis illius impigræ et ingenitæ, quâ ſaluti ſuæ conſtanter invigilare, omnem naturam docuit *divinus rerum opifex*, facile deprehendemus. Atque hoc quoque quam neceſſarium ſit ſummâ obſervantiâ naturam ducem ſequi, et quibus modis ſe morbo implicitam extricare conatur diligenter animadvertere, docet;

monet ſimul nè quis præpropero et officioſo nimis remediorum uſu laborantem perturbet; nè intempeſtivâ et multiplici medicinâ obruat magis quam reficiat afflictam. Illud equidem ſcitum et vetus verbum, *nè quid nimis*, cum in omni re ſit utiliſſimum, tum in re medicâ præcipuè cuſtodiendum: ille igitur me judice, præſtantiſſimus erit et conſultiſſimus medicus, qui diligentiſſimè ad ipſius *naturæ* conſilia intendit animum, et, quâ illa ſigna tulerit, hâc ſemper impigrè ſubſequitur.

Si novus omninò morbus aliquando extiterit, unicè ſequendum erit *Hippocratis* exemplum, ut veram ejus *indolem* perſpectam habeamus; illius nempè *obſervandi methodo* conſocianda eſt *de inveſtigandis morborum naturis regula*: ex ſymptomatis enim primò morbum eſſe, deindè ejus *naturam* ſeu indolem, atque ex hâc denique curandi methodum colligimus. Et non erit fortaſsè alienum huic

huic loco ſubjicere, tempeſtates eſſe *diverſas*, quæ ſuos habent morbos, qui quidam novi quodammodo poſſunt exiſtimari: hæ igitur tempeſtates, quibus hi ſolent ſe oſtendere ut eximius *Hippocrates* et præclarus ille noſtras *Sydenhamus* rectè admonent, diligenter erunt notandæ; neque enim aliter in curandis morbis cujuſque tempeſtatis propriis felici operâ ſumus uſuri: notandum eſt porro hujuſmodi morbos *varia* licet ægrotantium temperies ſit corporiſque habitus, certis ferè limitibus terminiſque definiri, et inter ſe affines eſſe: qui igitur *epidemici* cujuſvis morbi *indolem curationemque* legitimam vice ſimplici fuerit aſſecutus, adverſus *omnes* adeò profecit, ut opem deinceps longè præſentiorem ſit præſtiturus: nam multis licet in rebus diſcrepent, *cognatâ* tamen curatione indigent, quippe qui *communi* causâ oriuntur: quique in paucis rem diligenter erit perſcrutatus, collectis undique

undique et accuratè perpenſis ſymptomatis, pro eo, quod in methodo noſtrâ de morborum naturâ indolevè indagendâ tradidimus, conſilio, idoneus erit qui naturam, cauſas, curationemque morbi tradat, qualiſcunque tandem fuerit ægrotantis, pro multiplici variantis naturæ habitu, temperies. Huic autem argumento affine illud Celſi, atquè adeò non prætereundem. " Quod ſi " jam incidat mali *genus aliquod ig-* " *notum*, non ideo tamen fore medico " de *rebus* cogitandum *obſcuris*; ſed " eum protinus viſurum, cui morbo id " *proximum* ſit; tentaturumque reme- " media *ſimilia* illis, quæ *vicino malo* " ſæpe ſuccurrerint, et per ejus *ſimi-* " *litudinem* opem reperturum."

Deſcriptiones illæ accuratæ et elegantes, quas *Hippocrates* in hiſtoriâ morborum ſcriptas reliquit, in quibus cujuſque morbi vel minima quæque phænomena delineantur, imaginem na-

turæ

turæ exquiſitiſſimam legentibus proponunt: eædemque modo ritè perpendantur, plurimùm ſemper arti medicæ conferre invenientur. Quia ex illius *diagnoſticis* præcipuè, adhibitis tamen ſimul cæteris veteribus, *nuperiſque* etiam ſcriptoribus, qui illum potiſſimùm ſecuti ſunt, facillimè morbi *indolem* aſſequimur. Atque ut, veram et accuratam morbi cujuſlibet hiſtoriam, ſive legendo, ſive ex ipsâ re et obſervatione fidâ, nactis, inveſtigabilis erit maximè *cauſa proxima et conjuncta*, ita etiam iiſdem principiis utentibus, facilis erit aditu ipſa morbi *natura*; quâ tandem repertâ, non erit difficile *remedia* reperire, quibus ſanabilis ſanetur morbus, atque etiam inſanabilis ſaltem leniatur.

Indefeſſam illam diligentiam, quâ uſus eſt *Hippocrates*, cæterique veteres medici in explorandis et ſequendis naturæ conſiliis, auxit forſitan et exacuit *curta* nimis et *manca* tunc temporis *ma-*

teria

teria medica, acriorque vis remediorum, quæ iis ſuppetebant; quacunque tamen cauſâ ortus eſt ille intentus obſervandi ardor, multum certè profuit et profuturus eſt omni poſteritati: quoniam quas dederunt morborum admirandas deſcriptiones, non modo nulla unquam exuperatura eſt diligentia, ſed, dum humana natura eadem erit, quæ olìm, quæ hodie, utque veræ erunt et certiſſimæ. Et ſi recentiores, quibus copioſior ſalubriorque materia medica contigit, quique ſine controverſiâ *oeconomiæ animalis* ſcientiam plurimùm promoverunt: ſi illi inquam *Hippocratis* ſummam diligentiam imitari, et inſtituta ſequi conſtanter perſtitiſſent, rem medicam adeò ſine dubio auxiſſent, ut perpauca eſſent hodie deſiderata, etiamſi egregiam illud ſagacis animi acumen non acceſſiſſet: rarum enim illud et ſingulare non niſi paucis conceditur, adeo

ut

ut de medico, quod de poetâ dici ſolet, affirmare liceat, *naſcitur non fit.*

Si autem nos hodierni, novâ hac oeconomiæ animalis ſcientiâ et auctiore medicinæ apparatu elati, *prudentiam* hanc *diligentiamqne* adeò neceſſariam in exquirendis naturæ indiciis conſiliiſque neglexerimus, et inconſultâ remediorum adminiſtratione præcipitique officio obruamus, potius quam adhibitis, qua ipſa docet, rationibus laboranti naturæ ſuccurramus; neceſſariò ſequetur, ut non modo non ademptis aut lenitis, ſed auctis et multiplicatis ſymptomatis morbum ipſum obſcuremus: idque non ſine maximo ægrotantis damno, ſuſceptâque ſimul privatim ignominiâ, et publicâ totius artis noſtræ infamiâ. Quod ſi iis omnibus, quæ feliciter excogitavit noſtra ætas, rectè uti vellemus; id nullâ melius ratione fieri poſſe arbitror, quam peritiſſimum illum ducem *Hippocratem*, reliquoſque antiquos

rei medicæ gloriâ inſignes, ſtrenuè ſequendo, imitandoque, cùm obſervandi modum, tùm medendi rationem, (quam illi ſemper ex *conjunctis* morborum *cauſis*, ex quibus ſolis curationis *indices* ſumi debent, deduxere :) pro ea, quam *Hippocratis* exemplo ducti concinnamus methodo : atque hâc ſane fidelitèr ſervatâ, licebit ni fallor, ampliſſimos nobis ſucceſſus polliceri, et ad eam forſitàn hujus artis conſummationem, quam humana capit natura, paucis interjectis ſæculis perveniri poſſe ſperare.

Ex his quæ jam diximus in promptu erit cuivis ita ſecum ſtatuere ; non eſſe profectò rem facilem, nec quemvis temerè fieri medicum prudentem et peritum ; multâ lectione, multâ animi intentione, ſummo labore opus eſſe : multa eſſe ediſcenda, exquirenda, obſervanda, priuſquam idonei ſimus futuri, qui opus illud arduum, et quod adeo ad

vitas

vitas hominum pertineat, fidenter et feliciter aggrediamur.

Quæ ſi ita ſint, quid erit dicendum de iis, qui audactèr, ne dicam nefariè, graviſſimum hoc munus arripiunt, nec prius iis ſtudiis operam dederint, nec ea ſcientiæ ſubſidia comparaverint, quibus tota ars innititur? ſumma eſt eorum ſtultitia, aut ſumma certè arrogantia, qui, quum quæ et quanta ſit illa provincia, quam *diis iratis* ſuſcipiunt, prorsùs ignorent, ſucceſſus ſibi proſperos pollicentur. Quod ſi hi ipſi ſecum animis vellent perpendere, quanti ſit momenti quemadmodum ars medica exerceatur, ubi *de vita agitur*, mihi quidem perſuaſiſſimum eſt, nunquam temerè auſuros his ſacris, manus admovere, priuſquàm quibus modis ritè fierent fideliter didiciſſent.

Error ſanè non levis nonnullos juniores rei medicæ ſtudioſos occupavit, qui ſtudiorum et laboris minimè pati-

entes, ſi librorum iſtiuſmodi, qui præſcribendi *formulas* tradunt, ſibi undique congeſſerint, ſe ſatis idoneos eſſe ut *doctoratum* ſibi vendicent, artemque capeſſant, falsò credant; quoniam ſcilicèt iſthic ſuum cuique ferè malo remedium accommodatur. At verò fallaces illi *empiricorum* commentarii, quibus laborat hodierna ætas, nunquam non in fraudem ducunt: his nequaquàm fidendum, ſed contra tanquam perniciem ſecum afferentibus abſtinendum; quippe qui hoc ſolum præſtent, ut liceat cuivis impunè quoſvis lædere.

Si quis autem vanâ ſpe deceptus et hujuſmodi adminiculis frètus, auſus fuerit medicinam facere, citò ſe miſeris implicitum erroribus ſentiet, et paritèr cum ægrotis, qui ſe arbitrio ejus permiſerint, fruſtra torquebitur. Illud enim certiſſimum eſt, unumquodque *remedium*, quantumvis efficax, ut ægrotanti proſit, ſuo *modo* et *tempore*, defi-

nitâ

nitâ nempè *quantitate, certiſque morbi tempeſtatibus* adminiſtrari debere: neque id periculi, quod his neglectis oriri neceſſe eſt, ſanus quiſquam adire volet: ad hanc tamen ſcientiam non alitèr pervenire poteſt, quam arduâ illâ ſtudiorum ratione, quam modo memoravimus, adhibitâ ſimul illâ *morborum naturam inveſtigandi methodo.* Neque hoc tantùm commodi, ex his quæ de *inveſtigando* tradimus, aſſecuturi ſumus; quum methodus noſtra, non ſolum *veram morborum indolem* retegat, *certamqne curandi rationem*; ſed etiam *ipſorum medicamentorum* paritèr *vires propriamque naturam*, modo ſeduſo quis advertat animum, ut eâ rectè utatur, patefaciat. Virtus enim ſive potentia cujuſvis medicamenti nihil eſt, niſi *vis* illa quâ *proximam* morbi *cauſam* extirpare valet, qui quidem effectus ex repertâ prius morbi *naturâ* ſeu *indole* maximè dignoſcitur; et variæ virtutes diverſorum medicamentorum,

ſunt

ſunt gradus tantùm ejuſdem vis ita cognitæ: unde ſequitur ut actus directos et indirectos; et *vim* eorum *poſitivam* ſimul et *comparativam*, deprehendamus. Quod ſi fieri poſſit ut unum omnium morborum remedium reperiatur: huic quoque ut *ſua ſit doſis ſuum tempus* neceſſe erit, quæ penitùs aſſequi nemo niſi hâc ipsâ, quam monſtramus ratione poterit: atque hoc ſanè unicum eſt reverà ARCANUM MEDICUM. *Panacea*, *Noſtra*, *Specifica*, et quicquid hujuſmodi nonnulli crepant, ſine hâc peritiâ abſolutiſſimâ, quâ *ipſam doſin* ipſumque morbi *tempus* attingimus, plerumque ſunt perniciosiſſima. Huic autem ſententiæ noſtræ doctus ille BOERHAVIUS, medicus nuper celeberrimus, adſtipulatur. "Nec ſpecioſos medicamen-
" torum titulos morbis addidi. Cur?
" nihil arti exitiale magis novi; neque
" vero ipſe ullum cognoſco, quin *ſolo*
" *tempeſtivo uſu* tale fiat." *Epiſt. Aph. præf.*

præf. Promiſcuus ſcilicèt et temerarius medicamentorum uſus, ubi quid gravius inciderit, non, niſi mero fortunæ luſu prodeſſe poteſt. Quamquam in multis ſæpè morbis, ſi medicamentum alieniſſimum fuerit alieniſſimo tempore adminiſtratum, ut norunt omnes, vis ipſius naturæ utrumque, tam medicum quam morbum, vicit: hoc tamen non eſt *ſanare*; nec crimen ignoratæ artis diluit, quicquid natura propriis viribus effecerit.

His ità quaſi munitâ viâ, veniemus aliquando ad ipſum *de indagando morbo conſilium*; hoc autem ordine quam maximè perſpicuo jam proponemus præmiſsâ *Scheffleri* ſententiâ luculentâ, et cum propoſito noſtro adeò conjunctâ, ut ipſius potiſſimùm verbis ordiri libeat.

" Ut *rationalis* medicus curativis
" ſcopis ſatisfacere, materias medicas
" invenire, inventis rectè uti valeat:
" non ſatis erit vires cuſtodire et mor-

" bificas

" bificas cauſas amovere, ſed et morbi " *ſpeciem*, et *locum affectum* exquiſitè " *cognitum* habeat, neceſſe eſt." Hæc " SCHEFFLERUS.

Ad ſanandum morbum quemlibet certa ipſius morbi et aptiſſimi remedii cognitio pernceſſaria eſt, fieri enim non poteſt ut ſanetur morbus ſecundum artem cujus natura latet *artificem*; quâ quidem parum ſcientèr exploratâ, multorum ſæpe medicorum periit labor et ſedulitas; utpotè qui, ex ſymptomatibus *diagnoſticis* nihil fermè niſi *nomen* morbi collegerint, dum *ſecundariis* et *fortuitas* ſymptomatibus tanquam *monitoribus* in curando uſi ſunt: quum vera morbi natura rectiſſimè ſemper ex *diagnoſticis ſolis* quæratur, et illorum indiciis freti, *indicationes* verè curativas, morbi remedium indigitantes, inveniemus: et cum hæ Indicationes, ex ratiocinatione de naturæ *phænominis* factâ colligantur, ut quiſque maximè *oeconomiam animalem*

exploratam

exploratam habet, ita facilimè morbi alicujus naturam vel *indolem* intellecturus eſt; nequè enim niſi penitùs, intellectâ oeconomiâ animali, et *ſede* etiam morbi, poſſumus de *cauſis*, *ſignis* et *ſymptomatibus* morborum *ita ratiocinari*, ut eorum *naturas* vel *indoles* deprehendamus, et indè fidas et certas *curationis indicationes* deducamus: "Facilius autem omnium interiorum morbi curationeſque in notitiam venient, ſi prius eorum *ſedes* breviter oſtendero." *Celſ. l.* 4. *c.* 1. Hæc igitur quæ ſequuntur pernoſcere oportet, ut rectè intelligatur ipſus morbus; ſcilicet,

1. Cauſam *proximam*, et morbum ſemper concomitantem. 2. *Sedem*, parteſque vitiatas; 3. *Meatus* per quos malum progreditur; 4. *Signa* ejus *inſeparabilia*: 5. *Symptomata*, quæ morbo cuiquam adeſſe ſolent; 6. Singula *ſymptomata*, diſcretim ita ut internoſ-

noſcantur: in his rebus præcipuis, quo minùs quis erraverit, eo feliciùs morborum *curationi* operam navabit; his enim rectà itur ad *ſanationem.*

Nihil autem magis eſt neceſſarium quam, ut *morbus* et *ſymptoma* internoſcantur, nec levis impendenda eſt huic rei diligentia; hic enim nonnulli fermè omnium ſeculorum, ex iis etiam qui inter doctiſſimos habebantur, allucinati ſunt: et hujus rei ſanè inſcientia, *maximo*, ſi non ſolo, impedimento eſt, quo minùs medici ſæpè *veram* morbi alicujus *originem* deprehendant, cum id eſſe *morbum ipſum*, exiſtiment, quod nihil aliud eſt quam morbi *ſymptoma:* imo fortaſsè, ab ipſo morbo longè adeo abeſt, ut ne quidem ſignum *characteriſticum* ſit morbi, ſed *ſymptomatis tantùm ſymptoma:* dantur enìm ea perſæpè ſymptomata, quæ non ex *proxima* et *ſemper adjuncta cauſa* morbi, ſed ex priore aliquo ſymptomate enaſcuntur,

cuntur, uſque adeo conſulto opus eſt, ut *proximam* et *immediatam cauſam*, *ſymptomata vera* et *ſecundaria* ritè internoſcas.

Exemplo ſit *dolor dentium:* eſſentia hujus morbi genuina, *carie abſente*, eſt perioſtii diſtenſio violenta ab humore aliquo facta, unde hujus membranæ forma ſituque vi permutatis, *moleſtia* excitatur graviſſima, quæ quidem non eſt ipſus morbus, ſed morbi *diagnoſticon*, et humor iſte à quo fit moleſtia *morbus eſt*; ſi qua verò *inflammatio*, *febris*, vel *genarum tumor* ſequitur, harum nullum eſt morbi *diagnoſticon*, ſed ex moleſtia oritur, quæ ut diximus eſt diagnoſticon vel ſignum *characteriſticum* morbi, illorum unumquodque eſt *ſymptoma ſymptomatis*.

De *Diagnoſticis* Morborum.

Morborum ſigna *characteriſtica* quæ *diagnoſtica* vocamus, ea ſunt, quæ ab initio adſunt, et eodem ipſo quo morbus tempore nata, quaſi una adoleſcunt, conſeneſcunt, et decedunt. Et hæc ſola ſunt *certa* morborum ſigna; alia ſigna, ſive ſymptomata quæ morbum non immediatè ſequuntur, ejuſque *effectus proprii* non ſunt, quippè quæ non ſemper adſint, *fallacia* ſunt, quibus fides minimè habenda eſt, et quæ in errorem duxerunt aliquando homines doctiſſimos. Signa igitur hæc *fallacia*, inter *propria ſymptomata* alicujus morbi non ſunt numeranda, ſed inter *ſecundaria* ſcilicèt provenientia ex quodam *proprio* ſymptomate, et nimirum ſunt ſymptomata ſymptomatum; *vera* enim et *propria diagnoſtica* morbi cum illo paritèr initium et finem ſortiuntur, paritèr matureſcunt, conſidunt,

et

et evaneſcunt; et ex his ſignis, indicationes curativæ omninò colligendæ ſunt.

De Symptomatis Morborum.

Quod ad ſymptomata alicujus morbi attinet, imprimis ſymptomata *univerſa* ab ipſo *morbo* cautè diſcernenda ſunt, *ſingula* deindè inter ſe *diſtinguenda* ſunt; id eſt, ea quæ continuò ex morbo oriuntur et ſimul vaneſcunt, ab iis *diſtinguenda* ſunt, quæ non morbus ipſe, ſed ejus ſymptomata tantum pepererunt. Et ea ſymptomata quæ uſque ita morbo adhærent, ut ſimul naſcantur, ſimul decedant, ſicùt ſupra obſervavimus, *ſola certa* morbi ſunt *indicia.*

Ut exemplo familiari autem, dilucidior fiat hæc res, eodem quo ſupra iterùm utamur, ſcilicet *dolore dentium*: hic,

hic, *moleſtia* præcipuum eſt et graviſſimum ſymptoma, non tamen ipſius eſt morbus, nec morbi cauſa, imò haud ſimplex ſymptoma eſt, quandoquidem ab eâ, alia etiam naſci ſolent, nempè *febris*, *inflammatio*, *genarum tumores* et hujuſmodi, præſertim ſi *moleſtia* fiat acerrima, quæ quidem, cum ex *moleſtiæ* acerbitate proveniant, ſymptomata ſunt ſymptomatis tantùm; *febris* porro, et *inflammatio*, &c. Nec totaliter, nec ex parte, dentium *dolorem* pariunt; *dolore* enim dentes poſſunt, abſque his, idque ſæpiſſimè evenit: *tumor* autem neque ſimul cum morbo oritur, neque conſidit, imò non ſemper adeſt, neque eſt ejuſdem generis atque *humor* moleſtiam exciens; ſed ſolum ſymptoma eſt hujus morbi, vi moleſtiæ excitatum, et partium conſenſu humorumque affluxu conflatum.

Jam

Jam tandem, uti ſperamus, ob oculos ita perſpicuè poſita eſt *naturam* et *cauſam* morborum inveſtigandi methodus, explorando ſcilicet *ſedem*, *parteſque affectus*; et dignoſcendo *diagnoſtica*, et ſymptomata *fortuita*, ut manifeſtè pateat, quam neceſſe ſit, non tantum diagnoſtica et ſymptomata, à *morbo*, ſed hæc, etiam ab illis, rectè diſtinguere: hinc autem quæ potiſſimùm remedia adhibenda ſint, ad ſanandum quemvis morbum melius judicari poteſt; neque ſanè prius ſperanda eſt ſanatio, quàm penitùs *cognoſcatur morbus*.

Atque hoc quidem pacto cujuſlibet morbi natura, cauſa, et curandi ratio inveſtiganda eſt: ea enim eſt omnium morborum analogia, et ſimilitudo quædam admiranda, ut unius morbi naturâ penitùs exploratâ, plurium ſimul eâdem operâ naturæ recludantur; *ſcientia* adeò *generalis* ex *particulari diſquiſitione* oritur, et cujuſvis morbi indolem ſeu

na-

naturam aſſecuti, plurimorum ſimul, quale ſit cujuſque ingenium, et quæ ſit optima medendi ratio, docemur.

Ex hac etiam methodo, dum morbum perſcrutamur, ea ſimul diſcimus *indicia*, per quæ ſola, fidentèr de morbo prognoſticare licet, *hoc eſt*, *quis caſus ægrotum maneat prædicere*; id autem rectè fieri non poteſt, niſi, exploratâ morbi naturâ, ejus quantitas et vis, ſimul cum robore naturali ægrotantis, et medicinæ virtute, quaſi trutinâ ſuſpendatur; prognoſtica igitur non niſi ex diſquiſitis morbi *diagnoſticis*, poſſunt colligi; ex quibus, *qualis quantuſque* ſit morbus, *quantæque* ſimul ægrotantis *vires* comperimus. Porro, ut hâc methodo medicinarum quoque vires, efficaciamque docemur; ita ipſæ medicinæ lucem referunt, et magnâ ex parte judicium de morbo obfirmant, ſicut *Hippocrates* ſcientèr dixit. "Medicina eſt morbi index."

Hâc

Hâc igitur methodo morborum omnium, quibus humanum corpus unquam tentatum eſt, vel tentari poteſt, *naturam* inveſtigamus; et ſiquando novus, et adhuc in auditus morbus enaſcatur, hâc *naturam*, vel *indolem* ejus enucleatam habebimus, hâc quibus remediis ſanari poterit, diſcemus; *morbum enim dignoſcere eſt ſanationis principium.*

Optimus fermè quiſque medicus eam morbos curandi methodum quæ indicationibus deductis ex *perſpectis cauſis conjunctis* nititur, comprobavit. Harum autem cauſarum cognitionem, nemo ſine diligenti et aſſiduâ obſervatione, et recognitione *phænomenorum* iſtorum quæ ſinguli ſuis temporibus morbi exhibere ſolent, poteſt aſſequi: quicunque igitur *hiſtorias* morborum percalluerit, eorum etiam *naturam* ſeu *indolem hâc methodo* inveſtigare poterit; nam manca foret ars medica, niſi *phyſica ſcientia hiſtoricæ morborum cognitioni accedat*, nempé,

Alterius ſic altera poſcit opem, ut hâc rectè uti abſque illâ nequeamus: et quo plenius *oeconomiam animalem*, et præſertìm *ſecretiones*, perſpexerimus, eo certiùs et faciliùs morborum *naturam* vel *indolem* expiſcabimur.

"*Omnis enim philoſophiæ difficultas in* "*eo verſari videtur, ut à phænominis* "*motuum inveſtigemus vires naturæ, de-* "*inde ab his viribus demonſtremus phæ-* "*nomina reliqua.*" Hæc eſt magni Newtoni obſervatio. Ità mutatis mutandis confido, et datis cujuſvis morbi ſymptomatibus, ejuſdem etiam *natura*, his modis inveſtigandi facilè erui et explicari poteſt.

Hinc perſpicuum eſt, rationem ſanandis cujuſlibet morbi facilimam, naturæ maximè conſentaneam, uſuique accommodatiſſimam, ex *perpetuis* morbi ſymptomatis et *effectibus* elici poſſe. Intereà vero dum id agitur, oportet uſque meminiſſe ſumma opus eſſe diligentiâ,

gentiâ, ut rectè ſemper *diſtinguantur* ſymptomata inter ſe; nè, dum *vera* morbi alicujus *diagnoſtica* colligere ſtudemus, *ſpuria* quædam indicia, ſive ut ita dicam, ſigna *ſecundaria* et ſymptomata ſymptomatum, obtrudant ſe nobis, adeo ut *genuinis diagnoſticis* annumerentur; id enim ſi fiat, fruſtrà ferè veram naturam indolemvè morbi ſectamur, et operam, quod aiunt, oleumque perdimus; ſed his *monitis* diligenter adhibitis morbum ipſum cum ſuis ſymptomatis, et utrorumque cauſas facilè conſequemur: et exploratâ ſemel naturâ morbi, quem ſanandum ſuſcepimus, quantumvis varia ſit et multiplex ſymptomatum ſpecies, nulla reſtat de curandi ratione difficultas.

Quæquidem recta curandi ratio cum ita conſtet, talis erit ſucceſsûs ſpes admittenda, qualem, ex comparatâ naturâ indolevè morbi cum potentiâ medicamentorum deducere potuerimus.

Quod ſi jam compertum habeamus, vel *uſu* poſſimus reperire, quibus potiſſimùm modis, ea quæ adhibemus medicamenta, ſint actura, indè docebimur, quando hujus vel illius *methodi*, hujus vel illius *medicamenti* tempeſtiva maximè ſit adminiſtratio; et cur cuique ſit inſiſtendum aut ſuperſedendum: quæ quidem res ferè *ſummam artis medicæ complectitur*.

Quoniàm ea ferè omnia, ex quibus hanc noſtram methodum inveſtigandi et explorandi morborum naturam concinnavimus, paſſim disjecta per diverſos diverſorum operum locos, apud *Hippocratem*, *Celſum*, *Lommium*, *Boerhavium*, *Sydenhamum* alioſque ſcriptores de re medicâ celeberimos, nec dum diligenter, quod ſciam, conquiſita fuerint et in unum locum certumque ordinem digeſta: atque ut hoc cauſam fuiſſe præcipuam, cur *monita* tam præclara atque utilia deliteſcerent quodammodo adhunc

uſque

uſque diem, nec eâ, quæ par erat, diligentiâ perpenderentur; meritò cenſeri poteſt; ità me olim impulit ut eâ, quâ poteram, fide et induſtriâ, in unum *opuſculum* colligerem, quod nunc publici juris libens facio. Et quod mihi adeò per complures annos medicinæ operam danti feliciter proceſſit, id aliis quoque ejuſdem diſciplinæ ſtudioſis, non invitus commendo. Quippe quibus non minus profuturum eſſe, modo rectè utantur, prorsùs confido: cum, ut dignoſcatur morbus et inde curandi ratio inſtituatur: ut viribus medicamentorum cognitis, inde doſis juſta, et tempeſtivus uſus, pro diversâ cujuſque morbi indole vel ejuſdem varietatibus, ſtatuantur, totum ferè medici officium complectatur.

Hæc igitur methodus inveſtigandæ omnium morborum *indolis*, cum ſit naturæ rationique maximè congrua, et rectà ducat ad abſolutam hujus artis

peritiam

peritiam non immeritò dici poteſt *clavis* illa *dominatrix*, quâ peritiſſima Æſculapii adyta reſerantur. Sed ut ab ægrotantibus ſymptomata morborum, ex artis et prudentiæ legibus ad uſum poſſimus colligere memoriæ inſideat, non tantum opus eſſe ut humani corporis *ſtructuram*, et *ſecretiones* ejus intelligamus, ſed ut *hiſtorias* morborum, quas conſcripſerunt veteres, calleamus: nam ſymptomata, ea nempè inquam quæ maximè morbi naturam indolemvè indicant, non adeo eludunt occulos, quod planè aut deſit ingenii acumen, aut oeconomiæ animalis leges ignorentur; ſed et hinc quoque maximè, quod hujuſmodi ſcripta *veterum* à limine tantùm ſalutaſſe plerique videamur. Imò etiam, arbitror, in morbis *diſtinguendis* non raro fallimur, adeo ut nec à morbo morbus internoſcatur, nec ab ipſis ſæpè ſui ipſius ſymptomatis ritè ſecernatur; quia ſcientiam hanc perfectè abſolutam,

quam

quam ex *veterum medicoram deſcriptionibus* accuratiſſimis haurire potuimus, negligamus.

Hanc morborum *naturam* ſeu *indolem* inveſtigandi methodum, quam ex optimis auctoribus dudum collegi, propter eam quam mecum inſtitueram medendi rationem, omnibus iis morborum *hiſtoriis*, quarum auctores cauſas certas, ſigna et ſymptomata ritè deſcripſerant, et diverſas ejuſdem morbi ſpecies accuratè diſtinxerant, omnibuſque iis morbis et eorum *ſingulis phænominis*, quorum curationi ipſe interſuerim, ſedulò ſemper accommodavi: et cum plurimùm utilitatis ipſe inde perceperim, nullus dubito quin hi omnes, qui eâ quâ par eſt *diligentia* his inſtiterint veſtigiis, id commodi ſint inventuri quod ægrotantibus proſit, ſibi ipſis ſatisfaciat.

Con-

Conſilium apprimè neceſſarium in dubiâ *præſertim re, quò tutò ſemper* SANGUIS MITTATUR.

EVACUATIO ſanguinis inciſâ venâ miſſi, in iis *febribus* curandis, quæ cæteris *graviditatis* aut *puerperii* ægrotationibus nonnunquàm ſuperveniunt; plerumquè neceſſaria eſt; hanc autèm evacuationem ſimùl et ſemèl copioſè fieri debere inter *iſtiuſmodi febres* haùd facilè conceditur, cum plerumquè per inter capedines æquè utilitèr et multò tutiùs ſanguis poteſt quaſì interciſè detrahi: idque mihi in hâc urbe celeberrimâ latè quadantenùs artem medicam exercenti, plus triginti annorum uſus comprobavit. Imò verò in quibuſcunque *febribus*, ſicùt ego exiſtimo cauto opus eſt maximo, nè *copia* ſan-

ſanguinis larga uno tempore mittatur, quoniam effectus idem, ſi interpoſitis intervallis fiat, *plerumquè* ſequatur; et iis incommodis, quæ temerè effuſo ſanguine oriuntur, difficilè ſit mederi.

Sanguinis quidem miſſionem, in *omnibus febribus* curandis præcipuum eſſe remedium, inter omnes convenit; quæ verò ut idoneo tempore et ad juſtam menſuram fiat, ratione habitâ et *roboris* ægrotantis et *vi contractivâ* vaſculorum, limato opus eſt judicio: *experientia* enim quotidiana docet, plurimùm nunc boni nunc mali indè provenire, nec ubi profutura ſit, ubi obfutura evacuatio ſatis ſemper conſtat. *Regulam* igitur *de venæſectione tutò peragendâ*, quæ me nunquam fefellit, quamque ideò obſervatu digniſſimam cenſeo, ſub *dubiis* præſertìm *indicationibus*, lubens impertiar.

Diminutio autem *quantitatis* ſanguinis, et *momenti* auctio præcipuos eſſe venæſectionis effectus, inconfeſſo eſt;

ſed nè ægrotantis vires ſimùl imminuantur cautio eſt, quod quidèm futurum ſit necnè ante rem peractam dignoſcere, is eſt nodus, ut cenſeo, nondùm adhùc planè expeditus. Atque ſi ex miſſo ſanguine ægrotanti vires defecerint, et ſanguinis adaucta fuerit *copia* quæ imminui debuerat, idque non raròfit, maxima ſequentur incommoda, et parùm valebunt *potiones cardiacæ*, ad vires, intempeſtivè effuſo ſanguine languentes, reficiendas.

Bellinus abundè ſatis demonſtravit *momentum* ſanguinis per venæſectionem et *augeri* et *diminui* poſſe, cauſaſque utriuſque effectus addidit. Docetque idem præſentes ægrotantis vires, ſive quantitatem ſive qualitatem ſanguinis reſpicias, eſſe conſiderandas, nullibi tamèn, quod ego ſciam, in hâc re *judicandi* methodum planè tradit.

Methodus autem, quam unicè certam inveni, et quam iis qui præceptis ſe

meis

meis tradiderint commendo hæc eſt. Quandocunquè ſanguinem mitti juſſeris, in *rebus* præſertìm *dubiis*, digito ægrotantis venæ continuò ab incisâ venâ admoto obſervandum fortiores an languidiores, *effluente* ſanguine, fiant ictus, idque ex ſolâ unciâ permiſsâ obſervatione ſedulâ dignoſcatur; ſi *fortiores* fiunt ictus, tutò potes pergere; ſin minùs, vel ſi languidiores fiunt, incommodis afficietur maximis ægrotans, niſi ſtatim deſinatur: nàm, cùm cor detracto ſanguine debilitatum ad *momentum* ſanguinis ſuſtendandum minùs ſufficiat, reſidui ſanguinis *lentor* augebitur, et *ſecretiones* impedientur, quæ ſanguinis *quantitati* incrementum, *qualitati* vitium, cum omninò aliud deſideretur, ſcilicèt, ut *diminutâ* quantitate emendetur *qualitas*, non ſinè ſummo ægrotantis damno ferent.

Sanguinis autèm precedente ſyſtole impulſi motus, vi arteriarum *reſtitutivâ*

 con-

continuatur, id eſt, vi *elaſticâ tunicarum* membranacearum, *contractivâ* muſculoſarum, atque hæc quidem vis ea eſt, ut interiora vaſculorum indè fiant undique contigua, ubicunquè aliquamdiù non impellatur ſanguis, et ſempèr ita ſe haberent, abſque ſanguine *quì* continuo circumagitur; quotieſcunquè igitùr abundantior fuerit ſanguis, et præ *lentore* ſimùl majori molimine propellatur, eò difficiliùs arteriæ jam magis repletæ reſtituuntur, et quam ex *reſtitutione præcedentis* cujuſque pulſûs vires ſuccedentis omninò pendeant, talis *pulſatio* ſequetur qualis præceſſerit *reſtitutio:* cùm tamen major ſit ſanguinis quantitas, quam fert natura, eundem *tangenti* ſenſum exhibet, ac ſi legitima ſanguinis quantitas per arctam nimìs et contractam canalem protruderetur, vel pondere quodam ſuperincumbenti, arteria comprimeretur: ità fit, quem dicimus *depreſſum* vel *compreſſum pulſum*; et

et quum depreſſus pulſus vel ex plenitudine et *lentore*, vel ex *inanitate* et *languore* fieri poſſit, plurimùm intererit ut antè *vim* vaſculorum *contractivam* tractando et diligentèr animadvertendo *explores*, quam minimum ſanguinis detrahatur in morbis pleriſque tam acutis quam chronicis, et ubi depreſſus *ſit pulſus*, ſive ex *lentore* et *plenitudine*, ſivè ex *inanitate* et *languore*, præſertìm ubi parum certæ ſint mittendi ſanguinis indicationes.

Hanc igitùr regulam, quam ſolam eſſe *certam* affirmare auſim, et cujus *præſtantiam* experientia probavit multa, non poſſum non vehementèr tanquam fidam ducem commendare, quotieſcunquè res in *dubio* fuerit; eamquè multò utiliorem inventum iri, quam primò crederetur perſuaſum habeo: illud autem certò ſcio mihi maximo ſemper uſui fuiſſe in operâ ægrotantibus præſtandâ: Siquandò etenim in *ambiguo* ſit,

ſit, an venæſectionem indicationes poſtulent, hâc adhibitâ regulâ, tutò tentari poteſt, forsàn ad ægrotantis commodum; certè ſinè ullo periculo, cùm nunquàm, ſi vel *leviſſimæ* adſint *indicationes* venæſectione opus eſſe, ſit cur ex unciâ ſanguinis unicâ detractâ damnum aliquod timeatur.

FINIS.

ERRATA.

P. 35, l. 11. pro eruptione, lege *ſecretione.*
P. 41, l. 9. lege *rumpuntur quaſi.*
P. 77, l. 4. lege *medicamenta purgantia.*